SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE,

DE

MATRIMONIO, SECUNDUM NOVUM CODICEM BELGICUM,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

MATTHIAE SIEGENBEEK,

A. L. M. PHIL. DOCT.

LITT. BELG. ET HIST. PATRIAE PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

LUDOVICUS ASSER,

AMSTELODAMENSIS.

Ad diem 21. *Aprilis* MDCCCXXIII. *Horâ* XI—XII.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG, JUNIOREM,

MDCCCXXIII.

VIRIS DOCTISSIMIS, NOBILISSIMIS

AC

PLURIMUM VENERANDIS

MOÏSI SALOMONI ASSER,

EQUITI ORDINIS REGII LEONIS BELGICI, TRIBUNALIS AMSTELODAMENSIS QUONDAM JUDICI INTEGERRIMO; NUNC APUD EJUSDEM URBIS TRIBUNAL CAUSARUM PATRONO,

AVO ÆSTUMATISSIMO.

CAROLO ASSER,

J. U. D.

EQUITI ORDINIS REGII LEONIS BELGICI,

REFERENDARIO SUPERIORIS CLASSIS CET.

PATRI OPTIMO, CARISSIMO,

NEC NON

TOBIÆ ASSER,

APUD TRIBUNAL AMSTELODAMENSE PATRONO CAUSARUM,

PATRUO EXOPTATISSIMO.

Hocce suum specimen ea, qua decet, reverentia,

D. D. D.

L. ASSER.

Præfatio.

Præclaram aliquam eruditionis copiam in juvene exspectari non posse, qui per breve tantum tempus jurisprudentiæ operam dedit, res ipsa loquitur; nec profecto tot eximiis de jure scriptis juvenilem meam hanc scriptionem addere auderem, nisi a quovis summos in jure honores petente, post academica studia absoluta, specimen aliquod publicum progressuum lex exigeret.

Diu admodum autem dubitavi, quodnam potissimum argumentum eligerem; vix enim quidquam inveniebam, quod non multo jam melius pertractatum esset, quam a me hoc fieri posse existimabam. Tandem vero apud me orta est cogitatio, non plane ab re fore, si agerem de parte aliqua codicis novi Belgici, cujus jam aliquot tituli ab Ordinibus generalibus comprobati, et a Rege sanciti atque promulgati sunt; hæc enim materies nova est; nullum adhuc, quantum scio, specimen academicum de ea conscriptum est, cumque multæ in jure novo Belgico reperiantur dispositiones, quæ vel a legibus, quibus etiamnum utimur, multum differunt, vel in iis plane desunt, idcirco illos, qui hanc dissertationem meam benevole legere volent, minori fastidio affectum iri arbitratus sum,

si hac de re agerem, quam si repeterem, quod multi alii ante me dixerunt. Multum etiam ad hoc propositum ideo sum concitatus, quod carissimus Pater meus, quippe illis viris, quibus codicis redigendi cura commissa est, tanquam *ab actis* adjunctus, plures mihi legum rationes suppeditare potuit, atque exponere, quænam mens legislatoris in hac illave dispositione fuerit.

Quamvis igitur tituli novi codicis nondum vim legis habeant, et ideo tantum chartæ, quæ legibus promulgandis inservit (*Staatsblad*) Rex eos inseri jusserit, *ut partem futuri codicis efficerent*, utque interim facilius ad omnium notitiam pernenire possent, cum tamen vix, et ne vix quidem verosimile sit, multum in illis legibus mutatum iri, decrevi scribere *de matrimonio secundum novum codicem Belgicum*. Itaque breviter enarrabo, quidnam requiratur ad matrimonium legitime contrahendum, quinam sint ejus effectus, et quomodo dissolvatur, simûlque additurus sum explicationem legum quarumdam intellectu difficiliorum, et loca quædam præcipua indicabo, quæ a jure Gallico discrepant.

Quum autem, sicut dixi, materies nondum tractata sit, nulli erant auctores, quos consulere potui. Itaque unice fere usus sum, cum eximiis orationibus, quibus in concionibus Ordinum generalium leges ferendas commendavit

Vir consultissimus Nicolai, unus ex illis, quibus codicis redigendi cura est demandata, tum etiam præcipue *responsionibus*, quibus *Minister justitiæ*, nomine Regis, refellit *observationes* sectionum Ordinum generalium; quarum observationum et responsionum occasione, non ab re videtur, breviter exponere, quamnam viam cum Rex, tum Ordines generales, nec non auctores legum Belgicarum hactenus secuti sint, ad novum codicem civilem conficiendum.

Primum igitur, post faustam rerum conversionem, Rex noster codicis civilis speciminis redigendi munus tribuit viris quibusdam, tam ingenii præstantia, quam doctrinæ laude spectatissimis, inter quos nominasse sufficiat clarissimum Kemperum, promotorem æstumatissimum. Ab his opus confectum est, quod cum aliis eximiis dispositionibus excellebat, tum etiam præcipue, quod in eo restituta esset distinctio juris Romani, tam necessaria, inque codice Gallico plane neglecta, inter *jus in re* et *jus ad rem*, et quod non tantum regulas *jubentes* contineret, sed etiam doceret, quomodo leges essent interpretandæ, et definitiones traderet, quibus intelligi posset, quænam in legibus scribendis legislatorum mens fuerit. Memorabilia sunt, quæ hac de re dicta sunt in *commentatione*, quæ viro cl. Kempero tribuitur, quaque explicantur

principia, quæ tanquam fundamenta illius operis adoptata sunt. « Na dan op deze wijze
» eerst het regts-sijstema in het groot te hebben
» bepaald, kwam men nu als van zelve tot eene
» tweede niet minder gewigtige moeijelijkheid,
» over de wijze van behandeling der bijzondere
» deelen, en vooral over het meer of minder
» leerstellige in den vorm.

» Eene algemeene aanmerking toch tegen
» het vroegere werk der kommissie, welke in
» 1798, belast werd met de ontwerping eener
» nieuwe algemeene wetgeving voor de thans
» noordelijke deelen des rijks, had daarin
» bestaan, dat deszelfs vorm beter voor een
» regtskundig leerstelsel, dan wel voor een
» Wetboek voegde, en de ook naderhand tot
» walgens toe, door onkundigen zoowel als
» door kundigen herhaalde gemeenspreuk, *dat*
» *een Wetboek gebieden en niet leeren moest*,
» was te veel aan de orde van den dag, dan dat
» zich de ontwerpers niet opzettelijk en bepaald
» bij dit punt zouden hebben opgehouden.

» Ook zij meenden echter, ondanks de in
» der daad niet weinige en gewigtige gronden
» voor den leerstelligen vorm, aan den bloot
» wetgevenden vorm, de voorkeur te moeten
» geven; maar het moeijelijke lag insgelijks,
» gelijk meestal, minder in het beginsel, dan in

» de toepassing; en zoo ontstond dan nu de » veel belangrijker vraag, waar dan hier de » juiste grenzen tusschen het leerstellige en » wetgevende gelegen waren.

» Het gevoelen toch, dat door het aannemen » van dit beginsel dadelijk alle bepalingen » (definitien) en verdeelingen (divisien), moesten » vervallen, was te dwaas, om ergens anders, » dan bij het onkundig gros der menschen » voorstanders en toejuichers te vinden, daar » het, bij voorbeeld, zeker ommogelijk is, de » onderscheidene handelingen naauwkeurig en » voor allen verstaanbaar te maken, zoo lang » niet de wetgever uitdrukkelijk verklaard heeft, » wat hij door testamenten, codicillen, en elk » contract in het bijzonder verstaat, en bij » uitsluiting door den regter wil verstaan » hebben.

» Men meende dus hooger te moeten opklim- » min, dan alleen tot den vorm, en zoo werd » dan nu het besluit geboren, dat wel is waar, » uit een Wetboek moesten vermijd en geweerd » worden alle bepalingen en verdeelingen, » welke alleen ophelderden of leerden; maar » dat daarentegen door de aanneming van het » genoemd heginsel zoodanige bepalingen of » ook verdeelingen niet geweerd werden, welke » volstrekt noodig waren, om den regter met

» den waren zin des wetgevers bekend te » maken, of hem de alleen wettige wijzigingen » eener handeling te doen kennen ; de toepas» sing dezer gronden bevatte meer dan eens, » in de nadere behandeling van het Wetboek, » het antwoord op ingebragte bezwaren tegen » deze of gene bepaling, en zoo al sommige » *regtsgeleerden* nog mogten oordeelen, dat » vele dezer bepalingen hadden kunnen worden » overgelaten, aan hetgeen zij thans *jurispruden-* » *tie* noemen, dat is aan processen en regterlijke » uitspraken, is het nogthans zeker, dat de *bur-* » *ger* ér bij wint, om door een enkel artikel » meer, tot naauwkeurigere bepaling, boven de » noodzakelijkheid gesteld te worden, van tot » deze voor hem zoo kostbare jurisprudentie, » zijne toevlugt te moeten nemen. » *vid. dicta commentatio pag.* 3, *et* 4.

Hæc etsi verissima sint, prævaluit tamen apud Ordines generales sententia eorum, qui putarent, *omnem definitionem esse periculosam.* In materia contractuum tamen adeo necessariæ sunt definitiones, ut in ipso codice Gallico *liber tertius* refertus sit regulis dogmaticis. Multo melius igitur in specimine, de quo diximus, definitiones *generales* quasi in introductione ante omnia collocata erant, et *speciales* loco cuique proprio, quam in codice Gallico, ubi alia mate-

ries definitionibus explicatur, alia non explicatur, et ubi, verbi gratia, dispositiones de *gradibus cognationis et affinitatis*, quæ certe jam ad statum personarum pertinent, ideòque in libro primo collocari debuissent, demum in libro tertio, occasione successionum, per transennam inveniuntur.

Postquam igitur Rex dictum specimen, in *collegio*, quod *Raad van State* dicitur, examinatum, et a viris quibusdam, quibus præfuit vir spectatissimus VAN MAANEN, *Minister Justitiæ,* paullo mutatum, comprobasset atque Ordinibus generalibus submisisset, vidit in hoc collegio sententias de primariis juris principiis multum a se invicem discrepare, censuitque harum diversarum opinionum effectum fore, ut integri tituli omitti vel mutari deberent, utque ita de toto simul opere non deliberari posset.

Itaque viros quosdam nominavit (*), qui pri-

(*) Initio hi viri fuerunt nobilissimus *J. H. Mollerus*, collegii, quod *Raad van State* dicitur, post Regem, alter præses, clarissimus *Kemper*, consultissimi *Nicolaï Van Cromlrugghe*, *Membrède* et *Gendebien*, delegati ad Ordines generales, et *Raoux*, consiliarius regius (*lid van den Raad van State*), quibus, tamquam *ab actis* adjuncti sunt Pater meus, et referendarius *Laubry*. Posteà verò dicti viri *Molle rus* et *Gendebien*, a Rege

marias juris quæstiones Ordinibus generalibus, in concione secretâ decidendas, submitterent, quique secundum has decisiones, quatenus a Rege comprobatæ essent, novos titulos Codicis civilis redigerent; qui tituli iterum a Rege comprobati, tamquam leges separatæ Ordinum generalium deliberationibus proponerentur. Hoc autem collegium, quemadmodum omnes alias leges, sic etiam hos titulos in *sectionibus* suis examinare solet, atque hac sectiones ordinariò cum *Ministro*, cui legis alicujus defendendæ cura a Rege demandata est, de mutationibus agunt, quas in ea lege fieri posse existimant; hinc igitur oriuntur *observationes sectionum* et *responsiones Ministri*, quibus usus sum ad dispositionum quarundam rationes tradendas, quasque adeò sæpè citavi.

Præ cæteris verò, quod ad latinitatem hujus scriptionis attinet, me lectorum indulgentia indigere bene scio; nam et ipse in latinè scribendo parum versatus sum, et in loco, quem tractavi, multa occurrunt, quæ sermone bene latino tradi nequeunt, quia eorum nomina tempore, quo hæc lingua floruit, planè incognita fuerunt,

---

petierunt atque impetrarunt, ut ab hoc labore dimitterentur, in eorumque locum substitutus est vir consult. *Tammo Sypkens*, delegatus e provincia Groningæ.

et in ipso etiam corpore juris Romani non inveniuntur. Semper autem, quando requiri videbatur, Belgicè addidi, quidnam significare voluerim.

Superest, ut eruditissimis præceptoribus meis gratias agam quam maximas, pro beneficiis, quæ durante spatio, quo in illustri Amstelodamensi Athenæo studiis operam dedi, in me cumularunt. Numquam igitur, clarissimi VAN SWINDEN, VAN LENNEP, VAN CAPPELLE et VAN DER BREGGEN, eximiarum lectionum vestrarum summæque, qua me affecistis, benevolentiæ immemor esse potero. Et vos imprimis, clarissimi VAN REENEN et DEN TEX, sinite, ut hic publicè profitear, me, si ullos in quibuslibet jurisprudentiæ partibus progressus feci, totos vestris curis indefessis acceptos referre debere.—Persuasum habeatis, vos non in ingratum beneficia vestra collocasse; semper enim summo honore, maximâque reverentiâ vos colere pergam, et vota facere non desinam, ut in utilitatem juventutis, in decus patriæ, atque Athenæi nostri, inque gaudium familiarum vestrarum, quam diutissimè, atque felicissimè conservemini.

CONSPECTUS
SPECIMINIS.

SPECIMEN JURIDICUM
INAUGURALE
DE MATRIMONIO
SECUNDUM NOVUM CODICEM BELGICUM.

CAPUT PRIMUM.
Quomodo lex matrimonium consideret.

Lex publica patriæ nostræ nullam religionis speciem præ caeteris præfert, omnesque æqualiter prorsus agnoscit atque tuetur; hinc legislatores Belgici in scribendis legibus, quæ ad matrimonium pertinent, nullam religionis rationem habere potuerunt; homines enim, quantum ad legem civilem attinet, sunt æquales, eodemque omnes jure debent uti, cum e contrario, quod secundum præcepta unius cultûs divini speciei permissum est, sæpe aliis hominibus, qui diversam religionis formam sequuntur, plane est prohibitum. Rectè igitur *art.* 1. *tituli IV* statutum est, legem civiliter tantum matrimonium considerare.

Observatum quidem est a quibusdam illorum, qui ad Ordines generales delegati sunt, hanc dispositionem videri inutilem ac supervacuam; sed optime respondetur, eam omnino esse necessariam, cum ad clarè definiendum, quomodo lex matrimonium intelligat, tum ad

C,

impediendum, quominus conscientiæ hominum de vera natura hujus contractus turbentur; præterea, per pauca hujus articuli verba, infinita prævertuntur argumenta, quæ contra *dissolutionem* matrimonii possent afferri. *Vid. Responsiones ad observationes Ordinum generalium, d. art.* 1.

Planè igitur hominum conscientiæ relinquit lex, utrum conjunctionem hanc coram Deo confirmare velint nec ne; nihilque inter se commune habent nuptiæ civiles, atque ecclesiasticæ, ita ut leges civiles nullos viri mulierisque conjunctioni tribuat effectus, nisi secundum ipsorum præcepta inita sit.

Iis autem, quæ hactenus disseruimus, scilicet legem civilem nihil statuere de eo, quod religio circa matrimonium præscribit, una est exceptio in *art.* 55, tit. IV, ubi cerimoniæ religiosæ fieri prohibentur, antequam conjuges ministro cultus divini probaverint, eorum matrimonium jam ritè coram magistratu status civilis esse celebratum. Necessaria fuit hæc dispositio ad vitandas innumeras calamitates, quæ indè originem trahere possunt, quod quidam homines legum civilium vim planè ignorantes, matrimonium suum omnibus numeris absolutum credunt, simulac secundum ritus Ecclesiæ est contractum, non intelligentes, liberos ex tali conjunctione procreatos esse illegitimos, neque cætera incommoda prævidentes, quibus matrimonium non civiliter celebrando, sunt obnoxii.

CAPUT SECUNDUM.

De iis, quæ ad matrimonium ritè contrahendum requiruntur.

Requisita matrimonii sunt :

1°. Ut contrahentes justam ætatem habeant,

2°. Ne sibi invicem sint cognati vel affines iis gradibus, quibus lex matrimonium iniri prohibet,

3°. Ne obstet ratio aliqua civilis,

4°. Ut contrahentes liberè consentiant,

5°. Ut consentiant etiam ii, quorum consensus ad nuptias requiritur,

6°. Ut justa forma observetur.

§ 1.

De justa ætate.

Jure Belgico ad matrimonium ineundum in masculis ætas XVIII, in feminis XVI annorum impletorum requiritur. *art.* 4. Experientia docuit in patria nostra hanc esse ætatem, qua plerique utriusque sexûs adolescentes apti sunt ad nuptias contrahendas. Rex tamen propter graves causas permittere potest, ut inter personas, qui eam ætatem nondum impleverunt, matrimonium celebretur. *d. art.* 4.

§ 2.

De gradibus cognationis et affinitatis, qui matrimonio ineundo obstant.

Propter cognationem prohibentur nuptiæ :

1°. In linea recta, inter adscendentes et descendentes in infinitum, sive legitimi sint, sive naturales. *Art* 5.

2°. In linea collaterali æquali, inter fratres et sorores legitimos vel naturales *Art* 6.

3°. In linea autem collaterali inæquali, gradu tertio et quarto, sine discrimine sitne cognatio legitima an naturalis. *Art.* 7. *n°* 2. (*) Hanc tamen prohibitionem, ob graves causas, Rex tollere potest. *Eod. art.*

Propter affinitatem

1°. Nuptiæ in linea recta contrahi nequeunt in infinitum. *Art* 5.

2°. In linea collaterali nemo ducere potest fratris demortui viduam, neque uxoris defunctæ sororem, sive legitimam, sive naturalem *Art.* 7 *n°* 1, nisi propter graves causas venia a Rege sit impetrata. *Eod. art.*

(*) Ex analogia juris etiam ulteriori gradu hoc locum obtinere videtur, si nempe alter proximus est stipiti communi, alter quarto vel longiori gradu ab eo distat. Eadem enim ratio legis est; *conf.* § 3. *Inst. de Nupt. l.* 39 *pr. ff de ritu Nupt.*

In priori specimine, de quo in præfatione locuti sumus, art. 126, juri Romano consentaneus erat, ibi enim: » *Insgelijks is in de zijdlijn het huwelijk verboden tusschen personen, waarvan de een is een broeder of zuster van een der ouders* of voorouders *van den anderen* enz.... Non igitur capimus, quare auctores Codicis hanc dispositionem in posteriori specimine mutaverint.

§ 3.

De rationibus civilibus, quæ obstare possunt.

Ob rationem civilem

1°. Nuptias inire nemo potest, quamdiu adhuc priori matrimonio vinctus est. *Art.* 2.

2°. Non potest matrimonium iniri inter personas, quas secum invicem adulterium commisisse, e sententia judicis patet. *Art* 8.

3°. Conjuges, qui divortio sejuncti sunt, numquam iterum nuptias contrahere possunt. *Art* 9.

4°. Non potest femina novum inire matrimonium, nisi trecentos dies post dissolutionem prioris. *Art* 10.

§ 4.

De consensu contrahentium.

Diximus quartum matrimonii requisitum in eo consistere, ut contrahentes liberè consentiant. Articulus enim 3 docet, *non esse matrimonium sine libero consensu conjugum futurorum*; quod ita intelligendum est, ut hoc casu, si petat ille, qui non consensit, matrimonium nullum declaretur, *Art* 61. De causis autem, quibus vitiatur consensus, non loqui possumus, quoniam hæc materies in ea parte Codicis, quæ jam promulgata est, nondum tractata fuit, quod, æquè ac in Codice Gallico, occasione contractuum factum iri, verosimile est; licet nobis quidem magis placuisset, si jam hoc loco hac de re actum fuisset, quia non minus ad nuptias, quam ad obligationes pertinet. De errore tamen

jam aliquid dictum est, in *art.* 61 *hujus tituli*, e quo scilicet loco colligi posse videtur, errorem, ut vitiet consensum circa nuptias, versari debere *in ipsa persona*, quâcum quis matrimonium contrahere sibi proposuit. Lex etiam statuit consensum non adesse apud eum, qui, propter dementiam vel furorem, curæ alterius est subjectus, *Argum. Art.* 62; qua in re Codex Belgicus longe præstat Juri Gallico, ubi de mente captis et furiosis nihil aliud invenitur, quam collaterales et tutores sive curatores propter dementiam futuri conjugis, sese hujus matrimonio posse opponere; *conf. art.* 174 *n°* 2 *et* 175 *Cod. Nap.* Juris autem Belgici dispositio plane consentanea est *legi* 16. § 2. *ff de Ritu Nupt.* cujus verba sunt : » furor contrahi matrimonium » non sinit, quia consensu opus est. »

§ 5.

De consensu eorum, quorum auctoritatis in nuptiis contrahendis ratio est habenda.

Liberis legitimis, qui annum ætatis vicesimum quintum nondum impleverunt, matrimonium inire non licet, nisi antea rogaverint consensum patris et matris. Hac autem voluntatem suam non declarante, aut a patre dissentiente, sufficit consensus patris, qui tamen hoc casu, sive in instrumento ad consensum suum manifestandum confecto, sive coram magistratu status civilis, declarare debet, consensum matris esse rogatum. Sin vero pater mortuus est, aut voluntatem suam declarare nequit, consensus matris necessariò

requiritur. *Art.* 11. *d. tit.* IV. Hæc legis dispositio præferenda nobis videtur *Articulo* 148 *Cod. Nap.* ubi in paucis verbis invenitur pugna manifesta; in principio enim dicti *art.* consensus utriusque parentis exigitur in verbis : ILS NE PEUVENT *contracter mariage sans le consentement de leurs père et mère*, et statim tollitur hæc ipsa dispositio verbis : *en cas de dissentiment, le consentement* DU PÈRE SUFFIT. Quò servit mentio necessitatis consensûs matris, si hic consensus potest omitti ? nonne iniquum est, demonstrare matribus , ipsarum voluntatem nullum habere effectum, cum sit supervacua quando consentiunt, nullius momenti, quando se opponunt matrimonio liberorum? Multò igitur melior est dispositio Codicis Belgici, quæ liberis imponit obligationem *rogandi* consensum utriusque parentis, sed quæ patri, quippe capiti familiæ , jus tribuit, de ea rogatione pronunciandi. *conf. Respons. ad observ. d. art.* 11.

Mortuis patre ac matre, aut voluntatem suam declarare non valentibus, requiritur consensus avi paterni , quo etiam deficiente, consentire debet avus maternus. *Art.* 12. si vero in neutra linea avus exstat, aviæ paternæ consensus requiritur , ac si denique hæc quoque deficiat, aviæ maternæ. *Art.* 13.

Liberi legitimi , quorum pater et mater , nec non avi , aviæque mortui sunt, aut voluntatem suam nullo modo declarare possunt, ante annum ætatis vicesimum tertium, nuptias contrahere nequeunt, nisi venia iis hac de re concessa sit a

judice inferiore (*kantons-regter*), qui hanc veniam concedere nequit, nisi antea consultis, aut ritè saltem convocatis tutoribus, et quatuor proximorum cognatorum, vel his deficientibus, affinium, in Regno habitantibus, majoribus, distantibus gradu quarto vel propiori, et quantum fieri potest, pari numero ex utraque linea electis. Deficientibus cognatis atque affinibus, aut postquam ritè convocati sunt, neque ipsos, neque per procuratorem se sistentibus, judex, auditis, aut saltem ritè convocatis tutoribus, veniam concedere aut recusare debet; *Art* 14, de qua tamen decisione liberis, nec non cognatis atque affinibus, qui sententiam suam declararunt, queri licet apud tribunal (*arrondissements Regtbank*) quod, audito Procuratore Regis, sine alia forma litis, veniam concedet aut recusabit. *Art.* 15. Et rectè omnino egerunt legislatores Belgici, auctoritatem collateralium ita minuendo, cum sæpenumero in *conciliis familias*, quæ secundum jus Gallicum requiruntur, cognati magis suos ipsorum animi affectus et lucra, quam minoris, de quo res agitur, commoda considerare soleant.

Jure Gallico, cum liberi ad eam ætatem pervenerint, qua non amplius consensu parentum ad nuptias contrahendas indigeant, actu quodam solenni, quem Galli vocant *acte respectueux*, consilium patris et matris, vel iis deficientibus, avorum aviarumque explorare debent. *Art.* 151, *sqq*, *Cod. Nap.* Jure etiam Belgico, si liberi, qui annum ætatis vicesimum quintum

impleverunt, consensum parentum non obtinuerunt, tale quid locum habere debet. Sed legislatores nostri multo magis reverentiæ, quæ parentibus debetur, consuluerunt, quam Gallici. Hi enim statuerunt, ut, postquam liberi scriptum, quo consilium exploratur, per personas publicas, et quidem mercenarias, usque ad certam ætatem, quæ diversa est in masculis et feminis, per tres vices, post vero eam ætatem, semel tantum offerri curarunt, si parentes nihilominus consensum dare recusent, nuptiæ tamen post mensem celebrari possent; e quo mihi quidem magis effici videtur, ut parentes perspiciant, vanam, imo nullam esse eorum auctoritatem, quam ut debitus honor debitaque iis reverentia præstetur. Hoc etiam Belgici legislatores sentierunt, ideoque aliud atque efficacius remedium introduxerunt. Postquam enim cujuscunque sexus liberi legitimi, qui annum ætatis vicesimum quintum jam impleverunt, consensum parentum impetrare non potuerunt, judicem inferiorem, in cujus jurisdictione parentes domicilium habent, rogare debent, ut inter sese ac parentes interveniat, qui judex intra hebdomades sex, computandas a die, quo rogatio est facta, futurum conjugem, ejusque patrem, vel hoc deficiente, matrem ad se convocare debet, eum ad finem, ut iis ante oculos proponat ac observet omnia ea, quæ in utriusque commodum utilia et necessaria judicet; si pater vel mater non se sistat, statim quidem nuptiæ celebrari possunt; sin vero, postquam judex partes conciliare conatus

est, pater vel mater nihilominus negando persistat, matrimonium non iniri potest, nisi post sex menses (*), computandos a die, quo partes ante judicem comparuerunt. *Art.* 18. *sqq. usque ad* 22 (†).

Rogatum est a sectione quadam Ordinum generalium, quare non pater et mater simul ante judicem vocarentur? Responsum vero est, magnam exinde nascituram fuisse difficultatem, quia sæpe accidere potest, ut mater consensum det ad contrahendum matrimonium, cui pater se opponit; quo casu præsentia parentum dissentientium coram liberis, occasionem præbere potest rixis, quæ prorsus sunt vitandæ, quæque conciliationi magnopere possent nocere. *Vid. Respons. ad observ. Art.* 19.

(*) Hoc intervallum longius videri potest, sed præterquam patria auctoritas ita augetur et corroboratur, experientia docuit, multa matrimonia sub legum Gallicarum regimine, non locum habitura fuisse contra parentum voluntatem, si liberi lege coacti fuissent, de adhortationibus et causis recusationis diutius cogitare.

(†) Jure Romano pater vel avus, qui per injuriam in nuptias liberorum vel nepotum consentire nolebat, a magistratu cogi poterat, ut illos in matrimonio collocaret, atque etiam dotaret pro natalibus ac patrimonii quantitate. *L.* 19, *ff. de ritu Nupt.* Sed et in nostris etiam Provinciis olim tale quid obtinebat. *Vide* H. Grotii. *Inleijdinge tot de Hollandsche Rechtsgeleertheijt. Boek* 1, *deel* 5, §. 15. *Confer. Ordonn. van Politie van Holland, art.* 3, *van Utrecht, art.* 14, *van Zeeland, art.* 8, et DD. citati a Voetio, ad titulum *de ritu Nuptiarum*. N°. 11.

Hæc autem dispositio non ad avos aviasque extenditur, quia reverentiæ, quæ iis debetur, satisfactum esse videtur, quando usque ad annum ætatis vicesimum quintum eorum consensus requiritur; denique nullum hic discrimen factum est, quod ad ætatem attinet, inter masculos et feminas; et quidem rectè; nullam enim causam videmus, cur obligatio parentibus obediendi, iisque honorem præstandi, prius in filiabus, quam in filiis mitigetur. Differentiam autem annorum inter utrumque sexum tunc demum admitti posse censemus, quando agitur de ætate, quæ requiritur ad *ineundum matrimonium*, quoniam experientia docuit, facultates physicas apud feminas prius, quam apud masculos maturescere.

Nunc pauca videamus de liberis naturalibus. Hi, si a patre ritè sunt agniti, sine ejus consensu, ante ætatis annum vicesimum quintum nuptias contrahere nequeunt. Deficiente autem patre, aut si ab eo non sunt agniti, necessarius est consensus matris. *Art.* 16. Putavit quædam sectio Ordinum generalium, statuendum fuisse, ut liberi naturales, a patre agniti, etiam matris consensum rogare deberent; sed minus recte, quia non eadem est ratio legis, quæ respectu liberorum legitimorum valet; hoc enim ultimo casu parentes in eadem domo vivunt, unam familiam efficiunt, ideoque secum invicem de consensu possunt deliberare, cum e contrario casus rarius accidit, ut post seriem annorum parentes naturales adhuc cohabitent; imo fieri

potest, ut alteruter, vel uterque interim cum alia persona matrimonium contraxerit; nonne igitur quoddam dedecus, quædam turpitudo locum haberet, si duæ personæ, quæ nihil amplius secum commune habent, ad actum concurrere deberent, cujus causas et antecedentia, semper injucunda, utriusque familia plerumque ignorat? Consensus igitur solius patris efficit, ut omnia illa incommoda prævertantur, utque familiae legitimae quies non turbetur. *Conf. Respons. ad observat. Art.* 16.

Liberi naturales non agniti, aut quorum pater et mater mortui sunt, vel voluntatem suam declarare non possunt, usque ad annum vicesimum tertium impletum, indigent auctoritate judicis inferioris, qui, postquam eorum tutores consuluerit, aut saltem ritè citaverit, veniam concedere aut recusare debet, salvo tutoribus et ipsis liberis naturalibus regressu ad judicem superiorem, eodem modo, ac supra de liberis legitimis diximus. *Art.* 17. *juncto art.* 15. Si vero pater, vel mater, cujus consensus ad matrimonium liberorum naturalium requiritur, eum consensum post filii vel filiae annum aetatis vicesimum quintum recusaverit, eadem observanda sunt, quae circa liberos legitimos locum habere diximus. *Vid. art.* 23, *junctis articulis* 18 *et seqq.*

§. 6.

De justa forma.

Jam eò pervenimus, ut videamus de sexto matrimonii requisito, nempe de justa forma,

quae tam in iis, quae nuptias praecedunt, quam in ipsa earum celebratione observari debet. Huc igitur pertinet :

I°. Ut illi qui secum invicem matrimonium contrahere volunt, hac de re magistratum status civilis domicilii alterutrius partium certiorem faciant, sive ipsi praesentes, sive ejusmodi scripto, e quo de futurorum conjugum proposito clarè pateat, utque de hac declaratione instrumentum ab illo magistratu conficiatur. *Art.* 24 *et* 25. Haec dispositio in codice Gallico non reperitur; utilitatem tamen aliquam habere nobis videtur; quoniam alioquin promulgationes, de quibus mox locuturi sumus, ex odio vel joco, inscia alterutra parte, fieri possent.

II°. Ut præcedant duæ promulgationes factæ a Magistratu Status Civilis, duobus sequentibus diebus solis, ad valvas curiæ municipalis domicilii utriusque conjugis, et siquidem non ultra sex menses eo loco habitaverint, ubi tempore promulgationum domicilium habent, etiam in loco pristini eorum domicilii, (*) Potest tamen

(*) Secundum *art.* 168 *Cod. Nap.* promulgationes etiam fieri debent in loco domicilii eorum, quorum potestati, quantum ad nuptias attinet, futuri conjuges sunt subjecti. Jure Belgico ipso jure hoc obtinere debet, usque ad aetatem majorem contrahentium, quia minores sequuntur domicilium parentum vel tutorum ; *vid. art.* 5. *tit* III. Sectiones autem quædam Ordinum Generalium desiderarunt, ut intervallo a majore ætate usque ad annum vicesimum quintum, quippe quo consensu parentum non amplius opus est, promulgationes jure

a Rege, aut a magistratibus (*ambtenaren*) quibus Rex hanc potestatem dederit, propter graves causas harum promulgationum altera remitti. *Art* 26, 27, 28 et 30.

Continere debent hæ promulgationes et instrumentum, quod de iis est conficiendum :

1°. Prænomina, nomina, aetatem et domicilium futurorum conjugum, nec non mentionem conjugum eorum præcedentium, si quos habuerint.

2°. Prænomina, et domicilium patris eorum, atque matris.

3°. Diem, locum, et horam, quibus factae sunt promulgationes, cum mentione, sitne prior an altera. *Art* 26.

Durante intervallo inter duas illas promulgationes, instrumenti, quod de iis conficiendum est, pars extracta (*een uittreksel*) affigi debet, et affixa manere ad valvas curiæ locorum, ubi factae sunt promulgationes. *Art.* 29.

---

nostro etiam fierent in loco domicilii parentum; sed responsum est, talem dispositionem cum fore supervacuam, tum magnis difficultatibus locum daturam fuisse; supervacuam fore, quia magistratui statûs civilis matrimonium celebrare non licet, nisi constet parentes consensum dedisse, vel mortuos esse; *conf. tit* IV. *art.* 45. *n°* 2. *et.* 5; difficultatibus autem ansam præbere, quia parentum domicilium sæpe ignotum est, vel longius distat. *conf. verslag der centrale afdeeling*, *houdende de aanmerkingen der afdeelingen op de tweede redactie der* IV*de en* V*de titels van het Burgerlijk Wetboek.*

Sponsiones de futuris nuptiis universè non obstringunt partes , neque ad matrimonium contrahendum, neque ut ille contrahentium, cujus culpa nuptiæ secutæ non sunt , alterum propterea indemnem praestet , adeo ut ne conventio quidem contraria hac de re valeat; attamen , si declaratio, de qua supra locuti sumus, atque promulgationes, vel una earum factae sint, locus dari potest actioni ad resarciendum damnum, quod altera partium recusatione alterius reverâ in bonis passa sit; quae actio post lapsum XVIII mensium, a die promulgationis computandorum, non amplius potest institui. *Art.* 32.

Matrimonium non potest celebrari ante diem tertium, qui sequitur alteram promulgationem, ita ut ipse dies promulgationis non computetur, *Art* 49. Neque etiam celebrari potest post annum a die prioris promulgationis, quo casu novae promulgationes sunt faciendae *Art.* 31.

Scopus harum promulgationum est, ut palam fiat, quid agatur, utque ii, quibus lex hanc facultatem dedit, se opponere possint, quominus nuptiae celebrentur.

Legislatores Gallici de causis, cur adscendentes vel Procurator Regis se alicui matrimonio opponere possint, nihil quidquam dixerunt; duas tantum causas expresserunt, ob quas collateralibus usque ad quartum gradum, vel tutoribus, sive curatoribus, licet intercedere. *Vid. Art.* 174 *et* 175, *Cod. Nap.* Nimis autem lata hoc modo judici tribuitur potestas, maximaque in commoda ex hacce juris Gallici lacuna oriri

possunt. De eadem enim causa a diversis judicibus diversè potest pronunciari : Imo, cum *Art.* 5. *Cod. Nap.* judicibus vetet, dispositione aliqua generali et in posterum observandâ, de causis ipsis subjectis pronunciare ; sequitur, idem tribunal, quod hodie alteri negat, crás alteri, qui in eadem causa versatur, concedere posse ; quapropter rectè omnino egerunt auctores Codicis nostri, cum clarè et perspicuè statuerent, quibusnam casibus cuique permissum foret matrimonio alicui intercedendi ; e quo efficitur, ut in posterum etiam circa hanc rem unam eandemque jurisprudentiam in toto regno simus habituri.

Possunt igitur intercedere :

1°. Ille, qui adhuc matrimonio junctus est cum alterutro contrahentium, liberique ex illo matrimonio nati,

2°. Pater, eoque deficiente, mater,

3°. His deficientibus, avi aviæque; quibus etiam non exstantibus,

4°. Cognati atque affines usque ad gradum quartum inclusum, nec non tutores et curatores,

5°. Maritus divortio ab uxore sejunctus,

6°. Procurator Regis.

Ille igitur qui cum alterutro conjugum matrimonio junctus est, liberique ex hoc matrimonio procreati, intercedere possunt propter solam causam exsistentis matrimonii. *Art.* 34. Ratio cur hæc facultas liberis concedatur, in eo posita

est, quod eorum maxime interest, parentes non committere delictum, quod opprobrio illos afficeret, poenaeque criminali exponeret. *Vid. Respons. ad Observ. Art.* 34.

Pater, eoque deficiente, mater sese matrimonio liberorum opponere possunt septem ob causas, quæ sequuntur :

1°. Si filius filiave, viginti quinque annis minor, consensum necessarium non impetraverit;

2°. Si hac aetate major non rogaverit, ut interveniat judex inferior, secundum dispositionem *articuli* 18;

3°. Si propter dementiam curae aliorum est subjectus, aut rogatum jam sit, ut propterea curae subjiciatur;

4°. Si alterutra partium non habeat qualitates, quae secundum ea, quae supra vidimus, requiruntur ad matrimonium contrahendum;

5°. Si persona, quâcum filius vel filia matrimonium vult inire, accusata est criminis aut condemnata ad subeundam poenam, quae infamiam irrogat;

6°. Si promulgationes non sunt factae;

7°. Si futurus conjux, tanquam prodigus curae subjectus, matrimonium vult inire, quo ad ruinam suam vergeret *Art* 35.

Propter easdem causas, excepta secunda, avi quoque, aviaeque intercedere possunt, de quibus insuper observandum est, eos promiscuè se opponere posse, solo casu excepto, quando

nepos vel neptis consensum *articulis* 12 *et* 13, *hujus tit.* requisitum non obtinuerunt; tunc enim idem ordo observandus est, qui in illis articulis circa consensum est praescriptus. *Art* 36.

Si deficiant avi aviaeque, cognati et affines usque ad quartum gradum inclusum, (*) nec non tutores et curatores se opponere possunt :

1°. Si consensus judicis non sit rogatus vel impetratus in casibus *articuli* 14 *et seq.*

2°. Propter causas, quas supra circa patrem et matrem numeris 3°, 4°, 5°, et 6° exposuimus. *Art.* 37.

Maritus divortio ab uxore sejunctus matrimonio se opponere potest, quod hæc, ante decem menses (†) impletos post dissolutionem præcedentis, est contractura. *Art.* 38.

Denique Procurator Regis hisce casibus se matrimonio opponere debet :

1°. Si alteruter contrahentium adhuc matrimonio vinctus est,

(*) Hoc jus liberi non habent, quibus lex præter casum *art.* 34 memoratum, de quo supra vidimus, non permisit actionem odiosam instituere contra personas, quibus semper honorem debent atque reverentiam. *vid. Respons. ad observat. Art.* 37.

(†) Parvo hîc errore lapsi videntur ii, quibus Codicis redigendi cura est commissa; cum mentionem faciant 10 *mensium*, et supra *art.* 10 dixerint, uxorem non ante 300 *dies* a die dissolutionis prioris matrimonii, novum posse contrahere.

2°. Si contrahentium vel alterutrius eorum consensus non liber est : verbi gratia, in casu furoris, dementiæ, metûs et similium,

3°. Si justam ætatem non habeant,

4°. Si sibi invicem sint cognati vel affines gradu, quo lex matrimonium contrahi prohibet,

5°. Si adulter cum adultera matrimonium est initurus,

6°. Si conjuges divortio sejuncti, iterum conjungi volunt,

7°. Si femina novum matrimonium est contractura ante dies trecentos a dissolutione præcedentis. *Art.* 39,

De oppositionibus judicare debet Tribunal, (arrondissements-regtbank) in cujus jurisdictione situs est locus, ubi nuptiæ sunt celebrandæ. *Art.* 40. In instrumento autem, quo continetur oppositio, simul enunciari debent omnes causæ, quibus utitur is qui intercedit; neque poterunt aliæ causæ proponi, nisi demum post oppositionem ortæ fuerint. *Art.* 41. Porro observandum est, non cognatos vel affines impunè calumniandi causa se posse opponere, cum *Art.* 43 statuat, eos, qui intercederunt, exceptis adscendentibus, liberis et Procuratore Regis, si oppositio sit rejecta, posse condemnari in illud, quod interest.

Magistratus statûs civilis, qui matrimonium celebraverit, priusquam ipsi e sententiâ judicis, vel ex instrumento authentico constiterit, oppo-

sitionem irritam declaratam esse, condemnabitur in illud, quod interest. *Art* 44. Haec dispositio etiam in Codice Gallico invenitur ; (*Art*. 68 *Cod. Nap.*) sed nihil ibi statutum est, utrum hac in causa ipsum matrimonium valeat, an nullum declarari possit. Hac igitur de re legislatores nostri eximiam dispositionem excogitarunt ; constitutum enim est, ut lites de oppositione continuentur, etiamsi ante rejectam oppositionem celebratum fuerit matrimonium, utque nuptiae nullae declarentur, si rata facta fuerit oppositio. *d. art.* 44 *in fine.* Hac igitur ratione illis, quibus intercedendi facultas competit, jus suum salvum servatur, cum e contrario non omnimodo rumpitur matrimonium propter simplicem violationem oppositionis, quod durum foret, atque iniquum, quoniam accidere potest, ut oppositio rejiciatur.

III°. Pertinet etiam ad justam formam matrimonii, ut magistratus, qui Statui Civili praeëst, antequam ad celebrationem procedat, sibi tradi curet:

1°. Instrumentum, e quo constat de tempore et loco, quo natus est uterque futurus conjux, (*geboorte-akte.*)

2°. Instrumentum authenticum, quo continetur consensus patris, matris, avorum vel aviarum, aut venia judicis in casibus quibus requiritur. Consensus autem potest etiam dari in ipso instrumento matrimonii,

3°. Instrumentum, e quo constat, judicem

intervenisse ad conciliationem in casibus, quibus hoc requiritur,

4°. Instrumentum e quo in casu secundarum nuptiarum constat de morte conjugis prioris defuncti, vel de divortio.

5°. Instrumenta, quae probant mortuas esse personas, quorum consensus requirebatur; ac denique,

6°. Testimonium, e quo constat, promulgationes esse factas sine oppositione in locis, ubi fieri eas debere supra vidimus; vel probationem, oppositiones, si quae locum habuerunt, missas esse factas. *Art.* 45.

Si quis futurorum conjugum instrumentum nativitatis, de quo n° 1 locuti sumus nullo modo sibi comparare potest, sufficit, si exhibeat instrumentum, (*akte van bekendheid*) confectum a judice inferiori loci nativitatis aut domicilii sui, in quo instrumento quatuor testes, sine discrimine sintne masculi, an feminae, cognati an extranei, declarent, locum, et quam proximè (*) fieri possit, tempus, quo natus est futurus conjux, nec non causas, quae impediverunt,

(*) In *art.* 71 Cod. Nap. legitur : AUTANT *que possible, l'époque de sa naissance*, e qua voce AUTANT sequi videtur, ejusmodi instrumentum, quod unicè fere requiritur, ut de ætate contrahentium constet, fieri posse sine *ulla* mentione ætatis, dummodo scilicet tempus nativitatis plane ignoraverint testes. Rectè igitur in Codice nostro scriptum est *zoo* NA *mogelijk*, *aussi approximativement que possible.*

quominus exhiberetur instrumentum nativitatis. *Art.* 46.

Instrumentum nativitatis potest etiam suppleri vel declaratione simili, jurejurando confirmatâ quatuor illorum testium, quos celebrationi nuptiarum adesse debere infra videbimus, vel declaratione facta ab ipso futuro conjuge, atque itidem jurejurando confirmatâ, se neque instrumentum nativitatis, neque declarationem testium (akte van bekendheid) sibi comparare potuisse; — Alterutrius autem harum declarationum instrumentum, quod de celebratione matrimonii conficitur, mentionem facere debet. *Art.* 46. Eodem etiam modo supplentur instrumenta quae secundum A*rt.* 45, *n*° 5 requiruntur, ut constet de morte illorum, quorum consensus, si viverent, requireretur, siquidem contrahentes ipsa haec instrumenta nullo modo exhibere possint. A*rt.* 47.

Observatum hic est a sectionibus quibusdam Ordinum generalium, neminem jurare debere in propriam causam; sed responsum est, hanc legis dispositionem factam esse secundum sensum cujusdam opinionis consilii Imperatorii Gallici (A*vis du conseil d'état du* 4 *thermidor*, *an* 13. *apud Rondonneau tom.* III, *pag.* 65.) saepe enim accidit, ut futuri conjuges instrumentum nativitatis, vel mortis, aut declarationem testium his de rebus, sibi comparare nequeant; durum igitur foret, si hoc casu non possent matrimonium inire. Praeterae futuri conjuges revera non sunt testes in sua causa, neque

res est tanti momenti, quanti in casu jurisjurandi decisorii, ubi pars adversa adest; sed hic tantum a futuro conjuge fit declaratio solennior, de facto aliquo, quod illum solum spectat, quaeque declaratio non potest ulli nocere. *conf. Resp. ad Observ. art.* 46.

Si magistratus statûs civilis nuptias celebrare recuset propterea, quod instrumenta et testimonia, de quibus diximus, non videantur sufficientia, contrahentes possunt libello supplice adire Tribunal (*arrondissements-Regtbank*) quod, audito Procuratore Regis, sine forma litis, et sine recursu ad judicem superiorem, judicare debet, valeantne instrumenta, nec ne. *Art.* 48.

IV° Et ultimo loco ad formam matrimonii requiritur, ut ritè celebretur. Fieri hoc debet publicè in curia municipali, coram magistratu status civilis domicilii alterutrius partium, praesentibus quatuor testibus masculis, majoribus, in Regno habitantibus, sine discrimine, sintne cognati nec ne. *Art.* 50. Debet autem coram Magistratu statûs civilis uterque contrahentium declarare, sese alterum tanquam conjugem accipere, fideliterque functurum omnibus officiis, quae lex cum statu matrimonii conjunxit. *Art.* 54. Quodsi propter impedimentum (*), de quo ritè

(*) Sectio quædam Ordinum generalium desideraverat, in hoc articulo voci *beletsel* (*empéchement*), substitui *onmogelijkheid* (*impossibilité*), sensus autem dispositionis nimis ita coarctatus fuisset; latior enim articuli significatio,

constat, illud esse legitimum, alteruter conjugum futurorum se ad curiam conferre nequeat, poterit matrimonium celebrari in domo privata ejusdem loci, sed praesentibus sex testibus; causa autem, cur nuptiae in privatâ domo sint celebratae, in instrumento, quod de celebratione conficitur, exprimi debet. *Art.* 51. Regulariter futuri conjuges ipsi coram magistratu status civilis praesentes adesse debent. *Art.* 52. Sed Rex propter graves causas partibus veniam concedere potest, contrahendi matrimonium per procuratorem specialem, cui hoc instrumento authentico est mandatum. Si vero mandans ante celebrationem alias legitimas nuptias contraxerit, matrimonium per procuratorem celebratum considerabitur, quasi nunquam locum habuisset. *Art.* 53 (*). Quidam ex Ordinibus generalibus

---

quemadmodum nunc se habet, præter impossibilitatem physicam, alias quoque causas valdè legitimas, matrimonium in privatâ domo celebrandi, continet. *Vid. Respons. ad Observ. Art.* 51.

(*) Primo intuitu stricto juri contrarium videri possit, nullum esse illud quod gessit mandatarius, antequam sciverit mandatum esse revocatum; hæc autem ratio legis esse mihi videtur : Unum alterumve matrimonium, nullum esse debet; ille autem conjux, qui cum ipso mandante matrimonium inivit, potuit nescius esse mandati; cum e contrario ille, qui cum mandatario egit, non ignoraret, hunc esse *mandatarium*, ideoque casum evenire *posse*, ut mandans, jam antea alias nuptias contraxerit; habet igitur quod sibi imputet, maximè, cum casus legibus civilibus sit prævisus. Præterea effec-

totum hunc articulum tolli cupiebant; sed experientia docuit, hanc dispositionem valde esse necessariam, praesertim ratione habita illorum, qui in iis habitant regionibus, quas Rex in aliis orbis terrarum partibus possidet, *Vid. Respons. ad Observat. Art.* 53.

Hactenus vidimus de requisitis nuptiarum in ipso Regno contractarum, nunc ultimo loco pauca verba adjiciamus de matrimonio inito extra Regni territorium. Matrimonium igitur in regione extraneâ inter Belgas, vel inter Belgas et peregrinos initum, valet, si secundnm formas in illa regione usitatas celebratum est, dummodo promulgationes, de quibus suprà locuti sumus, locum habuerint, sine oppositione, neque conjuges Belgae aliquid egerint contra dispositiones, quae *sectione prima hujus tituli*, circa qualitates, et conditiones ad contrahendum matrimonium requisitas, continentur. *Art.* 57. Instrumentum autem matrimonii in regione peregrina contracti, intra annum post reversos in regnum conjuges, in libro, qui loco eorum domicilii matrimoniis inscribendis inservit, (*huwelijks-register*), transcribi debet. *Art.* 58.

---

tus ratione ejus, qui cum ipso mandante egit, multò graviores sunt, quam ratione illius, qui cum procuratore contraxit, quoniam hic cum conjuge mandante nondum cohabitavit. Quod autem ad damnum attinet, quod ille, qui cum mandatario egit, exinde reverâ in bonis suis passus sit, illud resarciendum videtur vi *articuli* 32.

F.

CAPUT TERTIUM.

Quibus casibus matrimonium nullum declaretur, et quinam hoc petere possint.

Hactenus vidimus, quid requiratur, ut legitimum sit matrimonium; nunc videamus, quid fiat, si contra legum dispositiones aliquid actum sit; fieri enim potest, ut matrimonium celebratum sit eo loco, ubi non habitant illi quorum interest, matrimonium locum non habere; possunt igitur hi promulgationes factas ignorare, ita ut oppositionibus suis matrimonii celebrationem non impediant. Hoc legislatores cum Gallici, tum nostri praeviderunt, ideoque illis, quorum interest, concesserunt, ut peterent, nuptias, contra legum requisita initas, nullas declarari; imo, si tali matrimonio contrahendo laesus sit ordo publicus, jusserunt ut Procurator Regis illud impugnaret. Jure Romano nuptiae contra legem aliquam initae *ipso jure* erant nullae, nec vir, nec uxor, nec nuptiae, nec matrimonium, nec dos intelligebatur; itaque ii, qui ex eo coitu nascebantur, in potestate patris non erant, sed tales (quantum ad patriam potestatem pertinebat), quales erant ii, quos mater vulgò concepit. §. 12. *Instit. de Nupt.* Ac tam latè hanc regulam Romani extenderunt, ut donationes inter virum et uxorem, quae ceteroquin non erant permissae (*L.* 1. *ff. de donat. inter virum et uxorem*), valerent, *si aliquod impedimentum interveniret, ne esset omnino matrimonium. L.* 3, §. 1, *ff. eod.* Hoc igitur apud

Romanos obtinebat, sed multo melius legislatores nostri statuerunt, nuptias, contra legum requisita contractas, non nullas esse ipso jure, sed tunc demum, quando nullae declaratae sunt, quod a judice fieri debet. *Art.* 59, *tit.* IV. Necesse enim est, ut legitimè constet, matrimonium revera contra aliquod legis praescriptum esse contractum; et hoc judici est dijudicandum; praeterea non rarò accidere potest, ut vel ambo conjuges, vel alteruter eorum in bona fide fuerit, cum contraheretur matrimonium, quo casu rectè lex statuit, matrimonium, donec sententia judicis nullum declaretur, omnes effectus civiles producere, tam ratione conjugum (non tamen ejus qui dolo malo egit, in casu, quo alteruter tantum in bona fide versatus fuerit), quam ratione liberorum ex hoc matrimonio procreatorum. *Vid. art.* 69; *seqq.* Durum enim fuisset, si quis e dolo alterius detrimentum capere posset, et haec etiam causa fuit, cur legislatores Belgici statuerent, jura eorum, qui bona fide cum conjugibus contraxerunt, salva manere, etiamsi matrimonium nullum sit declaratum. *Art.* 72.

Jam videamus, quibusnam casibus matrimonium nullum declarari possit, et quinam jus habeant petendi, ut nullum declaretur.

Atque hoc quidem jus nonnunquam omnibus, quorum interest, atque Procuratori Regis, nonnunquam certis tantum personis competit.

Prioris generis casus sunt:

1°. Si novum matrimonium contractum sit, priori nondum dissoluto, quo casu agere pos-

sunt ipsi conjuges, ille, qui cum alterutro priori matrimonio junctus est, pater, mater, aliive adscendentes, item omnes, quorum interest, nec non Procurator Regis. *Art.* 60.

2°. Si nuptiae contractae sint inter personas, quae sibi cognatae vel affines sunt eo gradu, quo lex matrimonium iniri prohibet, vel inter adulterum atque adulteram, vel inter conjuges, quorum matrimonium divortio dissolutum est; tunc enim nuptiae illae impugnari possunt ab ipsis conjugibus, eorumque patre, matre, aliisque adscendentibus, nec non ab iis, quorum interest, ac denique a Procuratore Regis. *Art.* 64.

3°. Ab iisdem etiam personis peti potest, ut nullum declaretur matrimonium, quod celebratum non est, coram magistratu competente vel testibus numero requisito præsentibus; hic tamen observandum est, conjuges hoc petere non posse, si publicè constat, eos secum invicem tanquam virum et uxorem vixisse, et si exhibitum sit instrumentum, quod de celebratione eorum matrimonii a magistratu (*) statûs

---

(*) Textus Hollandicus hac in re clarior videtur Gallico; in illo enim legimus: *Wanneer er uiterlijk bezit van den huwelijken staat aanwezig is, en er eene akte van huwelijks-voltrekking ten overstaan van* EENEN *ambtenaar van den burgerlijken stand verleden, vertoond wordt, zijn de echtgenooten over en weder, niet ontvankelijk om de nietigheid des huwelijks te vragen, Art.* 66. E quo sequitur hoc instrumentum ratione conjugum etiam valere, etiamsi confectum sit a magistratu

civilis confectum est. Quod ad testes attinet, si quid peccatum sit contra illud, quod in Art. 50 de iis praescribitur, non semper et necessariò matrimonium nullum declaratur, sed judicis arbitrio hoc secundum circumstantias est relictum. *Art.* 66.

Hanc dispositionem sectio quædam Ordinum generalium tolli cupiebat, sed meritò responsum est, *articulum* 50, si hoc fieret, in nudum præceptum, omni effectu destitutum, esse degeneraturum, nisi diceretur, nuptias semper nullas esse declarandas, si celebratae non sunt præsentibus quatuor testibus, secundum *articulum* 50 idoneis; quod utrumqne gravibus ansam præberet difficultatibus; si enim, verbi causâ, unum e testibus, qui errore quodam majorem se crederet, minorem adhuc fuisse appareret, durum admodum foret, ejusmodi matrimonium, bona fide contractum, nullum declarari; et e contrario, si partes, ut magistratum status civilis deciperent, quatuor peregrinos testes adhibuisse constat, nullum dubium est, quin

---

Statûs Civilis non competente; in textu autem Gallico scriptum est, L'OFFICIER *de l'état civil*; Ratio hujus discriminis quærenda videtur in linguæ Gallicæ indole et natura, quibus hoc sensu articulus indefinitus UN *officier*, non convenire videtur; in Codice enim Gallico *articulus* 196, cui dictus *art.* 66. *Cod. Belg.* respondet, eodem fere modo conscriptus est. Ceterum nullam exinde difficultatem oriri existimamus, cum alter textus alterum possit explicare.

rumpi debeat hoc matrimonium; omnia igitur a temporibus pendent, quorum dijudicatio judici est relinquenda. *vid. Respons. ad observat. Art.* 66. Quod autem diximus matrimonium in casibus enumeratis impugnari posse ab omnibus iis, quorum interest, hoc ita est intelligendum, ut cognatis collateralibus, liberis ex alio matrimonio procreatis, atque extraneis hoc jus non competat, quamdiu ambo conjuges vivunt, sed tunc demum, quando jam adest causa, cur eorum intersit, nuptias nullas declarari, *Art.* 67. Haec dispositio e Codice Gallico (*Art.* 187), desumta, a nostris legislatoribus in novum Codicem est transcripta, ad vitandas innumeras lites, quibus alioquin avidi collaterales, conjuges feliciter secum invicem viventes, propter causas pecuniarias, sordidè turbare studerent. Hi igitur tunc demum agere possunt, quando liberi, quos ex irregulari matrimonio natos existimant, vel conjux defuncti cognati, hujus successionem occupare parati sunt. *Vid. Respons. ad Observat. Art.* 67. Quod autem attinet ad liberos e priori matrimonio procreatos, omnino secundum reverentiam, quam parentibus debent, statutum est, ne odiosam actionem contra viventes eos liberi possent instituere. Rectè igitur lex iis concessit facultatem praeveniendi factum, quo parentes criminis rei fierent. *Art.* 34. Sed rectè etiam, si semel facinus perperatum est, eadem lex, donec vivunt parentes, omnem liberis actionem ad impugnandum matrimonium denegavit.

Posterioris generis casus, quibus scilicet certis

tantum personis competit jus petendi, ut nullae declarentur nuptiae, sunt sequentes :

1°. Si matrimonium contractum sit sine consensu conjugum, vel alterutrius eorum, quo càsu agere tantum possunt conjuges, vel ille conjugum, cujus consensus non fuit liber, et si alterutra partium erravit in ipsa persona, quacum matrimonium inire volebat, tantum conjux errore lapsus nuptias impugnare potest, neque amplius actionem instituere licet, si conjuges per tres menses cohabitaverint, postquam ille qui non consensit, plenam acquisivit libertatem, aut qui erravit, errorem cognovit. *Art.* 61.

2°. Si initum sit matrimonium ab eo, qui propter dementiam vel furorem curae est subjectus, quo casu impugnandi facultatem habent cum ipse conjux, qui in curâ est, tum ejus pater, mater, adscendentes, atque collaterales usque ad quartum gradum inclusum, denique curator ejus et Procurator Regis. *Art.* 62. Publici enim ordinis interest, eos, qui sana mente non gaudent, cum reverâ non consentiant, matrimonium inire non posse. Simulac vero ad sanam mentem conjux ille redierit, solus ipse retinet facultatem petendi, ut nullum declaretur matrimonium, idque jus etiam amittit, si per sex menses, post finitam curam, cum altero conjuge habitaverit. *d. art.* 62.

3°. Si nuptiæ initæ sint ante justam contrahentium ætatem, quo casu agere potest sive ipse conjux hac ætate minor, sive Procurator Regis, cui utrique hæc facultas adimitur, si conjux ille,

die, quo actio instituitur, justam ætatem impleverit, vel si uxor, quæ hac ætate minor est, ante illum diem conceperit. *Art.* 63.

4°. Si matrimonium contractum sit sine consensu patris, matris, aut adscendentium in causis, in quibus hic consensus erat necessarius; tunc enim tantum ab illo possunt impugnari nuptiæ, cujus consensus requirebatur, atque hic etiam eam actionem non amplius instituere potest, postquam matrimonium sive expressè, sive tacitè ratum habuerit, aut postquam tacuerit per sex menses, computandos a tempore, quo nuptiæ ipsi notæ fuerunt. *Art.* 65.

Quædam Ordinum generalium sectio rogavit, cur non hoc casu, æque ac jure Gallico, ipsi etiam conjuges jus habeant petendi, ut ejusmodi matrimonium nullum declaretur; cui quæstioni rectè quidem responsum est, jus Gallicum hac in re sibi ipsi repugnare, cum *art.* 182 *Cod. Nap.* conjugibus facultatem concedat petendi, ut nullum declaretur matrimonium, et *art. seq.* statutum sit, hanc actionem cessare ratihabitatione *illorum*, *quorum consensus requiritur*; atqui, aut consensus parentum requiritur in gratiam *liberorum*, aut in gratiam *ipsorum parentum* (†); tertium non datur. *Priori* casu

(†) Nobis quidem hic consensus in gratiam parentum requiri videtur, maximè propter reverentiam, quam liberi iis debent; hoc autem exinde deducimus, quod, etiamsi post annum ætatis XXV, liberi sine consensu

parentes non possunt ratihabitione liberos privare actione, quemadmodum tutor non potest post ætatem majorem pupilli ratihabere contractum, quo hic minor se sine ipsius auctoritate obligavit. *Posteriori* autem casu liberi non possunt invocare omissionem officii, præscripti in favorem alterius, actionemque nancisci e propria sua irreverentia. *Conf. Respons. ad Observat. art.* 65.

Hæ sunt igitur causæ, cur matrimonium possit nullum declarari; hæ sunt personæ, quæ gaudent facultate illud petendi. Si vero aliis casibus contra dispositiones circa matrimonium constitutas, aliquid actum sit, non quidem nullæ declarantur nuptiæ, sed magistratus statûs civilis, et ipsæ partes possunt condemnari ad pœnas, quas Codex Criminalis his de rebus statuet, *Art.* 73. Casus autem, quibus hoc accidere potest, hi fere sunt:

1°. Si femina novum matrimonium iniverit ante dies trecentos post dissolutionem prioris;

2°. Si liberi legitimi vel naturales annis XXIII minores, deficientibus iis, quorum consensus requirebatur, sine venia judicis inferioris, nuptias

---

parentum matrimonium inire possint, tamen hunc consensum semper rogare debent. Jure etiam Romano, ii, quorum in potestate liberi erant, in eorum nuptias consentire debebant, tum propter patriam potestatem, tum ne invito suus heres agnoscatur. *Vid. pr. Inst. de Nupt. l.* 2. *ff. de Ritu Nupt.*

contraxerint, aut universè si quid contra *art.* 14 vel 17 actum fuerit;

3°. Si peccatum sit circa ea, quæ *articuli* 18 *et* 22 præscribunt in casu, quo parentes consensum recusant liberis viginti quinque annis majoribus;

4°. Si promulgationes non ritè factæ sint;

5°. Si nuptiæ celebratæ sint ante diem tertium a posteriore promulgatione, ac denique;

6°. Si præter casum, *art.* 51 expressum, matrimonium non publicè in curia municipali sit celebratum. *d. art.* 73.

CAPUT QUARTUM.

Quomodo matrimonium probetur legitimè esse celebratum.

Matrimonium non potest probari legitimè esse celebratum, nisi instrumento celebrationis in libris statûs civilis inscripto. *Art.* 74 *ejusd. tit* IV. A qua tamen regula hæ dantur exceptiones.

1°. Si libri statûs civilis numquam exstiterunt, aut si perditi sunt, arbitrio judicis est relictum, utrum sufficiens matrimonii probatio adsit, an minus; quo tamen casu requiritur, ut conjuges *possessionem statûs*, (*een uiterlijk. bezit van den huwelijken staat*) habeant, id est, ut palam constet, eos, tanquam maritum et uxorem secum invicem vixisse. *Art.* 75. Non etiam peti potest, ut liberi *statûs possessionem* habentes, cui non repugnat instrumentum nativitatis

eorum, pro *non legitimis* habeantur, propter solam rationem, quod non exhibitum sit instrumentum, e quo constat de celebratione matrimonii parentum defunctorum, dummodo scilicet hi publicè quemadmodum maritus et uxor vixerint. Art. 76.

2e. Si falsum instrumentum est substitutum vero, aut verum instrumentum mutatum, laceratum, destructum vel subtractum, sententia, qua reus propter falsum illud condemnatus est, in libris statûs civilis inscripta, eandem vim nanciscitur, quam habuisset instrumentum celebrationis nuptiarum, et matrimonium a die, quo celebratum est, omnes effectus habet, tam ratione conjugum, liberorumque, quam omnium eorum, quorum interest. *Art.* 77. Sin vero jam mortuus est Magistratus statûs civilis, illi qui probare cupiant, matrimonium revera legitimè esse celebratum, nec non Procurator Regis possunt actione civili experiri contra heredes dicti magistratus et contra partes, quarum interest; *Art.* 78. secus ac melius quam jure Gallico, quo hæc actio tantum competit Procuratori Regis, præsentibus iis, quorum interest, atque eorum denuntiatione. *Vid. art.* 200 *Cod. Nap.*

CAPUT QUINTUM.

De effectibus matrimonii.

Quidam effectus matrimonii spectant personas mariti atque uxoris; de his agitur *Titulo V*, qui inscribitur : *de juribus et officiis conjugum.* Alii

spectant eorum bona, de quibus agitur *titulo VI et sequentibus*. Hanc materiem nos in duas partes sumus divisuri, in quarum alterâ agemus de *personis* conjugum, in alterâ autem de eorum *bonis*.

Observandum est, legislatores Belgicos hîc alium et meliorem ordinem esse secutos, quam Gallicos, quippe qui jam hoc loco ab *art.* 204, usque ad *art.* 211 loquuntur de quibusdam officiis, quæ *liberi ac parentes* erga se invicem observare debent, et de cæteris omnibus agunt in titulo *de patria potestate; art.* 371 *et seqq.* Hanc igitur totam materiem auctores Codicis nostri in uno titulo *de patria potestate* comprehendere sibi proposuerunt; *conf. Responsiones ad Observ. Titul. V, art.* 1. E capite tamen Codicis Gallici, quod inscribitur : *des obligations qui naissent du mariage*, unus *articulus* 203, jam in *titulum quintum* Codicis nostri est transcriptus, quoniam hæc dispositio ipsos conjuges spectat, atque efficit, ut alter alterum cogere possit, ad contribuendum alimentis atque educationi liberorum. *Vid. Art.* 1. *Tit. V.*

PARS I.

De effectibus matrimonii, quantum attinet ad personas conjugum, sive de juribus et officiis conjugum.

Quædam jura officiaque solum maritum spectant, alia uxorem, alia denique utrumque simul.

Solum maritum spectant sequentia :

1°. Caput est societatis conjugalis; hinc uxori, quando in jus eat, adsistere, aut pro ea comparere debet, salvis exceptionibus, de quibus infra agemus; bonaque uxoris administrat, nisi adsit stipulatio contraria. *Art.* 3, *tit. V.*

2°. Uxorem recipere tenetur in domum, quam habitat, eam tueri debet, illique secundum statum fortunarum suarum, omnia præbere, quæ ipsi necessaria sunt. *Art.* 5. Hæc dispositio a jure Romano discrepat, nam secundum leges Romanas maritus quidem uxorem in domum suam recipere debebat, eique omnia ea administrare, quibus indigebat, ad vitam sustentandam; non vero secundum facultates suas, sed dotis quantitatem. *Vid. l.* 22, § 8. *ff. Solut. Matr.*

Ad *uxorem* pertinent jura officiaque sequentia:

1°. Marito obedientiam præstare debet, cum eo habitare tenetur, eumque sequi, ubicunque judicaverit, se domicilium suum constituere debere. *Art.* 4.

2°. Uxor, licet inter eam et maritum communio bonorum locum non habeat, imo licet separati bonis conjuges sint, nihil potest donare, alienare, hypothecæ obligare, aut acquirere, sive titulo gratuito, sive oneroso, sine concursu mariti in ipso instrumento, aut consensu ejus scripto dato; sed et licet maritus auctoritatem suam interposuerit, ad obligationem contrahendam, non tamen idcirco uxor jus nanciscitur accipiendi solutionem, neque apocham dandi, nisi hanc in rem expressè maritus consenserit.

Art. 6 (*). Vis auctoritatis a marito uxori concessæ, etiamsi contractu nuptiali eam stipulata sit uxor, non potest excedere administrationem bonorum ipsius uxoris. *Art.* 13.

3°. Uxor, licet inter eam et maritum non adsit bonorum communio, vel separatio bonorum obtineat, aut licet publicè mercaturam faciat, non potest stare in judicio sine expressa mariti auctoritate, quæ adesse præsumitur, si maritus conjunctim cum illa in jus procedat. *Art* 8.

A quibus tamen regulis hæ sunt exceptiones:

a) Uxori, inter quam et maritum bonorum, vel thori et mensæ separatio locum habet, potest, non obstante Art 6 *tit* V, a judice auctoritate generali permitti, ut de bonis suis mobilibus disponat (†) *vid. art.* 10 *tit.* VII *de*

(*) Jure Romano uxor poterat contrahere sine consensu mariti, quoniam ipsi licebat, sine ejus auctoritate donationem facere; qui actus ipsi sane erat maximè omnium onerosus atque damnosus. *conf. l.* 6. *Cod. de Revocand. donat.*

(†) Emendata hic est antinomia, quæ in Codice Gallico invenitur inter *art.* 217 et 1449. Illius enim hæc sunt verba : *la femme* MÊME NON COMMUNE, OU SÉPARÉE DE BIENS *ne peut donner*, *aliéner*, *hypothéquer*, *acquérir à titre gratuit ou onéreux*, *sans le concours du mari dans l'acte*, *ou son consentement par écrit.* Ex hoc igitur loco constat, uxorem inter quam et maritum separatio bonorum obtinet, nullo casu sine ejus consensu bona sua sine discrimine sintne mobilia, an immobilia, posse alienare. *Art.* autem 1449 ita se habet. *La femme séparée*

separatione bonorum et *art.* 12 *tit.* XI *de separatione thori et mensæ.*

b) Uxor testamento de bonis suis disponere potest sine mariti auctoritate. *Art.* 16 *Tit.* V.

c) Lex præsumit consensum mariti, ratione omnium actuum atque obligationum, quæ pertinent ad sumtus ordinarios et quotidianos rei domesticæ. *Art.* 7.

d) Uxor non indiget auctoritate mariti in judicio, si adversus eam agatur ex causa *criminali, correctoriâ* (uti vocant), aut ad *politiam* pertinente, quemadmodum etiam quod attinet ad actiones, quibus divortium, separatio thori et mensæ, vel separatio bonorum petitur. *Art* 9. Quod ultimum in *Cod. Nap.* omissum est, unde sequitur, jure Gallico uxorem a marito auctoritatem petere debere, ut contra ipsum agat, antequam veniam a judice impetrare possit; quod absurdum videtur. Imo rectè in casibus tanti momenti jure nostro non opus est, ut uxor consensum judicis petat, ad actionem contra maritum instituendam, quod secus est in omnibus ceteris casibus, quoniam alioquin uxor quotidiè maritum molestis litibus afficere posset.

---

soit de corps et de biens, *soit de biens seulement*, *en reprend la libre administration*; ELLE PEUT DISPOSER DE SON MOBILIER ET L'ALIÉNER; *elle ne peut* etc..... E quo constat e contrario, uxorem bonis a marito separatam, omnino *mobilia* sua posse alienare. *cf. art* 1538, ubi etiam uxor bonis separata, tantum bona *immobilia* alienare prohibetur sine consensu mariti, vel auctoritate judicis.

e) Quando maritus uxori consensum dare nullo modo potest, aut quando hoc contra ipsius commoda repugnat, Tribunal domicilii conjugum, uxori concedere potest, ut in judicio stet, contrahat, bona administret, aut quamcunque aliam rem gerat. *Art.* 12.

f) Si maritus denegat consensum uxori, ad aliquam obligationem ineundam, aut ad standum in judicio, potest hæc recurrere ad tribunal domicilii communis, ad impetrandam auctoritatem. *Art.* 10.

g) Quando uxor expresso vel tacito mariti consensu publicè mercaturam facit, potest se sine mariti consensu ad omnia ea obligare, quæ ad commercium suum pertinent; sed et hoc casu ipsum etiam maritum obligat, si communio bonorum inter conjuges locum habet; uxor autem publicè mercaturam facere censetur, quando commercium agit separatim a marito; si vero maritus consensum suum revocet, hanc suam revocationem palam facere tenetur. *Art* 11.

Iis casibus exceptis, quidquid uxor contra dictas regulas egerit, nullius momenti habetur. Facultas autem petendi, ut propter defectum auctoritatis mariti vel judicis, nulli declarentur actus uxoris, soli competit uxori, marito, eorumque heredibus; *Art.* 14. et si post dissolutionem matrimonii uxor obligationem, sine auctoritate requisita initam, sive totam, sive pro parte exsequatur, non amplius rogare potest, ut nulla declaretur. *Art.* 15.

Ambos denique *conjuges simul* hæc spectant officia :

1°. Fidem, opem atque auxilium sibi invicem debent. *Art.* 2.

2°. Solo facto matrimonium ineundi, mutuò conjuges obligationem contrahunt, liberos alendi atque educandi. *Art.* 1. E qua dispositione, non liberi actionem nanciscuntur ad alimenta a parentibus petenda, sed alter conjux alterum cogere potest, ut alimentis atque educationi liberorum contribuat. *Vid. Respons. ad observ. d. art.* 1 et quæ initio hujus capitis diximus.

Hi sunt igitur effectus matrimonii, quod attinet ad personas conjugum; sunt quidem et alii effectus, qui scilicet personas liberorum spectant; cum vero tituli, qui hac de re agent, nondum eo momento, quo hoc specimen conscribimus, ab Ordinibus generalibus sint comprobati, hanc materiem tractare non potuimus, ideoque tantum effectus matrimonii, ad personas mariti et uxoris pertinentes, consideravimus.

PARS II.

De effectibus matrimonii conjugum bona spectantibus, sive de communione bonorum.

Sectiones quædam Ordinum generalium rogarunt, quare non hæcce materies, æque ac in Codice Gallico, occasione contractuum esset tractata? ad quam observationem responsum est : Codicis partem, quæ *communionem bonorum* continet, ita conjunctam esse visam cum ea, qua

de matrimonio agitur, ut tamquam vera emendatio considerari possit, unam materiam alteram immediatè sequi. Propriè matrimonium (ita porro responsum est) considerari potest tamquam contractus inter virum et feminam, unde jura et obligationes, tam ratione personarum, quam bonorum conjugum oriuntnr; si igitur indefinitè systhematicus ordo in Codice esset sequendus, hæc tota materies inter contractus esset collocanda; sed matrimonium habet etiam effectus, qui pertinent ad statum personarum, et hæc est causa, cur in omnibus, quæ quidem notæ sunt, legum collectionibus, de de hac materie occasione primi juris objecti agatur. Cum igitur omnia, quæ requiruntur ad hunc contractum legitimè ineundum, in *libro primo* essent collocanda, nulla causa adfuit, cnr necessariæ hujus contractus consequentiæ, ad alium locum referrentur, atque ita materies cohærens sine ulla utilitate distraheretur. Nimirum communio legalis bonorum, nisi excludatur, temperetur, aut extendatur, aeque necessaria matrimonii est consequentia, ac obligatio uxoris obediendi marito, vel mariti, uxorem in domum recipiendi, vel utriusque obligatio liberos alendi, vel denique dispositio, quæ vetat, quominus uxor sine consensu mariti bona sua alienet, hypothecæ obliget, successiones adeat aut repudiet, de quibus omnibus, *art.* 212 *et seqq. Cod. Nap.* et *Tit. V Cod. Belg.* agitur; quamobrem, cum jam aliqua *bonorum* mentio in *d. tit. V* occurrat, nulla causa ecogitari potuit, cur non immediatè

sequatur alius matrimonii effectus, scilicet *communio bonorum* cum omnibus iis, quæ ad eam pertinent.

Præterea, quoniam ordo totius operis et conjunctio variarum de jure civili legum, in unum Codicem, adhuc Regis deliberationi subjici debeant, hæc res prorsus integra manet. *Conf. Respons. ad observ. Tit. VI. Initio.*

Deinde valde etiam agitata fuit quæstio, utrum legalis communio bonorum ad omnia conjugum bona extendi deberet, an vero bona immobilia ex ea excluderentur. Illi, qui priorem opinionem fovebant, iis fere nitebantur argumentis: Verum quidem esse, futuros conjuges, ante nuptias ineundas tales conventiones facere posse, quales commodis utriusque convenire viderentur, adeoque extensionem, vel modificationem communionis planè pendere a voluntate contrahentium; Attamen, quum conjuges propositum suum non clarè expresserunt, rei naturæ magis esse consentaneum, omnia bona in *communione* comprehendi, quam existimare, futuros conjuges sibi tempore celebrationis nuptiarum ante oculos posuisse illam, sensu juridico saepe difficilem distinctionem bonorum, in *mobilia* et *immobilia*. Praeterea, cum præsertim in Provinciis septentrionalibus Patriæ nostræ, pleraeque hominum fortunæ in rebus *mobilibus* consistant, ratione harum regionum non sublatum iri difficultates, quæ in Provinciis meridionalibus ratione *immobilium* exsistunt.

Illi contra, qui *immobilia* e communione

legali excludi cupiebant, ad sententiam suam firmandam observabant, fortunas in provinciis meridionalibus maximè in prædiis et rebus immobilibus consistere, et quamvis futuri conjuges his de rebus conventionibus omnia statuere possint, quæ velint, tamen mutationem systhematis, quod secundum leges adhuc vigentes obtinet, multis difficultatibus, atque confusionibus ansam posse præbere.

Quæ diversæ opiniones ut conciliarentur, causa fuisse videtur, cur in priori Codicis Belgici specimine (de quo in præfatione locuti sumus) statutum esset, ut duæ forent communionis legalis species, quarum altera, *indefinita*, omnia conjugum bona comprehenderet, altera, *definita*, ad bona immobilia non extenderetur, utque futuri conjuges, si contractum nuptiale non fecerint, occasione celebrationis nuptiarum, coram Magistratu statûs civilis, eligere deberent, secundum quamnam harum communionum matrimonium contrahere vellent; sin vero casu quodam hæc declaratio omissa fuerit, observarentur dispositiones, quæ circa communionem *indefinitam*, constitutæ essent. *Vid. art.* 248 *et seqq. prioris speciminis.* Valde nobis hoc remedium placuisset, attamen, quemadmodum infra videbimus, non plane remansit in posteriori specimine, quod jam ab Ordinibus generalibus acceptum et a Rege promulgatum est.

Cæterum sub judice adhuc lis est, an incriptiones in libris publici æris alieni (inschrijvingen op grootboeken van publieke schuld) et

similes res (secundum leges adhuc vigentes *mobiles*), in quibus hominum fortunæ, in Provinciis septentrionalibus maximè consistunt, rebus *immobilibus* sint adnumerandæ. *Vid. Respons. ad observationes generales*, Tit VI.

Jure Romano nulla erat inter conjuges communio bonorum generalis, nec tamen aliquam communionem nonnullarum rerum fuisse, facile aliquis negabit, cum in *lege* 1. § 15. *ff. de senatuscons. silan.* hæc legantur : « *si vir aut » uxor occisi esse proponantur, de servis eorum » quæstio habetur ; quanquam neque viri servi » proprie uxoris dicantur, neque uxoris proprie » viri, sed quia commixta familia est, et una » domus est, ita vindicandum, atque in propriis » servis, senatus censuit.* » Vid. tamen, quae hac de re disserit *vir consult.* O. LE CLERCQ, in opere, cui titulus : *le droit Romain dans ses rapports avec le droit Français, et les principes des deux législations ; Tom.* V *pag.* 190 *et seqq.*

SECTIO I.

Quando legalis communio bonorum locum habeat.

Locum habet communio legalis bonorum, quoties conjuges aut contractum nuptialē omnino non confecerunt, aut in ejusmodi contractu non expressè huic communioni derogarunt; semperque bonorum communio incipit locum habere a die celebrationis matrimonii, *Art.* 1 *Tit. VI.*

SECTIO II.

De bonis, quæ in communionem veniunt.

In communionem veniunt :

1°. Omnia bona mobilia, quæ conjuges possident die celebrationis nuptiarum, nec non ea, quæ stante matrimonio, sive titulo oneroso, sive gratuito acquirunt, nisi hoc ultimo casu testator vel donator contrarium in instrumento statuerit,

2°. Omnes fructus et reditus, stante matrimonio percepti, ex bonis conjugum, quæ tempore nuptiarum contractarum possidebant, vel stante matrimonio quocumque titulo acquisiverunt, quamvis alterutri conjugum propria sint,

3°. Omnia bona immobilia, quæ stante matrimonio acquisiverunt (*titulo oneroso*). *Art.* 2.

Proinde res immobiles sequentes in communionem non veniunt :

a. Quarum dominium conjuges probaverint ante nuptias ad se pertinuisse,

b. Quæ iis, stante matrimonio titulo successionis legalis obvenerunt,

c. Quæ eodem intervallo donationibus inter vivos, aut vi testamenti acquisiverunt, nisi in instrumento expressè statutum fuerit, rem donatam, aut legatam in communionem venire debere.

d. Res immobilis permutata cum alia re immobili, quæ alterutri conjugum propria fuerat; hæc res ad eundem conjugum pertinet, sed si hoc

casu communio aliquid ad permutationem efficiendam contulerit, hac de re indemnis est præstanda.

e. Res immobilis secundum dispositiones *articulorum* 28, 29 *et* 30. *hujus tit*, acquisita in locum venditæ alterius rei immobilis, quæ alterutrius conjugis propria fuerat. *Art.* 4.

Si acquisita sit portio rei immobilis, cujus partem alteruter conjux jam antea possidebat pro indiviso, distinguendum est, utrum ille conjux maritus sit, an uxor; si maritus, portio acquisita non cedit communioni, sed hæc indemnis est præstanda de summa pecuniæ, quam ad portionem eam acquirendum præstitit, si vero uxor, poterit hæc post dissolutionem communionis eligere, utrum totam rem communioni relinquere velit, ex eaque accipere pretium partis, quam antea possederat, an retinere rem immobilem, et communioni restituere pretium portionis acquisitæ. *Art.* 5. Ratio hujus discriminis inter virum et uxorem in eo consistit, quod maritus, quippe administrator communionis, solus et *sine consensu uxoris*, illam portionem emere possit pecuniâ communionis, adeoque æquum sit, uxorem post dissolutam communionem, rem communioni posse relinquere aut retinere, soluto pretio, quo emta est.

Atque hæc etiam est causa, cur uxor, si *ipsa* rem auctoritate mariti acquisiverit, non habeat facultatem eam rem communioni relinquendi,

eodemque jure utatur ac maritus. *Art.* 5 *et Respons. ad observ. h. art.*

Sylvæ cæduæ, et quodcunque provenit e lapicidinis, metalli aut cespitum fodinis (*veenderijen*) communioni cedit, quatenus considerari potest in fructu esse, secundum regulas, quæ *de usufructu* statuentur. Si autem ligna, quæ durante communione cædi potuissent, non cæsa sint, indemnis hac de re est præstandus conjux, cui fundus non pertinet, ejusve heredes. Ratio est, quod maritus qui solus administrat, dolo malo ligna cædere negligere posset, ut ita, dissoluta communione, sibi soli obveniant, quæ communioni cedere debuissent.

De lapicidinis, metalli ac cespitum fodinis adhuc observandum est, earum fructus, si quidem stante matrimonio inchoatæ sunt, non in communionem venire, nisi sub conditione, ut indemnis præstetur conjux, qui inde damnum passus sit. Ex inchoandis enim lapicidinis, metalli fodinis et similibus, magni fere semper sumtus oriuntur, ideoque æquum est, conjugem qui partem in usufructu habet, etiam portionem in sumtibus ferre. *Vid. Art.* 3 *et Respons. ad observat. h. art.*

SECTIO III.

De debitis communionis.

Debita, quæ in communionem veniunt sunt sequentia :

1°. Omnia debita *mobilia*, (i. e. ea, quibus aliquis ad rem mobilem præstandam adstringitur), qui-

bus conjuges sunt onerati die celebrationis matrimonii,

2°. Debita, a marito, aut uxore consentiente marito, stante communione contracta,

3°. Usuræ debitorum, nec non reditus annui quibus gravata sunt bona, alterutri conjugi propria,

4°. Impensæ factæ ad reparationes rerum immobilium ad communionem non pertinentium, et quas ferre etiam debet fructuarius,

5°. Alimenta conjugum et liberorum, et sumtus facti in horum educationem, ceteraque onera matrimonii,

6°. Omnia debita mobilia, quibus oneratæ sunt successiones, quæ alterutri conjugum obveniunt, secundum distinctiones, quas infrà sumus indicaturi. *Art.* 6.

Quod attinet ad debita mobilia, quæ uxor ante nuptias contraxit, hæc non in communionem veniunt, nisi probatum sit, ea revera ante matrimonium esse contracta. Si vero hoc probatum non est, creditores uxoris non possunt, communione durante, ad solutionem uxorem convenire, nisi quoad nudam proprietatem rerum immobilium, quæ ipsi propriæ sunt. *Art.* 7. Ratio est, quoniam res mobiles uxoris, et fructus rerum immobilium ad communionem pertinent. Maritus autem qui contenderet, se ejusmodi debitum solvisse, neque ab uxore, neque ab ejus heredibus petere potest, ut hac de re indemnis præstetur; *d. art.* 7. non enim tunc

inquiri debet, utrum debitum ante matrimonium sit contractum, an vero post; quoniam priori casu communio de eo tenetur (*Art.* 6, *n*° 1); posteriori autem maritus illud solvendo ratihabuisse censetur.

De successionibus sequentia sunt observanda :

1°. Si quidem purè mobilis sit successio, quæ alterutri conjugi obveniat, debita talis successionis integra communio solvere tenetur, quippe ad quam omne lucrum hujus rei pertinet. *Art.* 8. Sin vero purè sit immobilis successio, illius onera non in communionem veniunt, salvo jure creditorum, jus suum in ipsa bona immobilia successionis persequendi. *Art.* 9 (*).

Attamen si marito ejusmodi successio contigerit, creditores etiam convenire possunt sive bona propria mariti, sive etiam bona communionis, quo tamen ultimo casu indemnis præstanda est uxor, ejusve heredes. *d. art.* 9.

2°. Si uxor consensu mariti successionem purè immobilem adeat, creditores omnia bona

(*) Quaeri possit, quare creditores jus habeant conveniendi integras res immobiles successionis, cum supra vidimus, earum fructus in communionem venire? sed responderi potest, eos fructus, antequam ad successionem pertinerent, creditoribus securitati fuisse, æs alienum defuncti solutum iri ; hujus autem mortem jus creditorum nullo modo posse minuere, fructusque igitur ad heredem non transmitti, nisi cum conditione, ut inde debita solvantur. —

convenire possunt, quæ uxoris propria sunt; aequum enim est, maritum, quum ipse consensit, amittere fructus, quæ alioquin in communionem venire debuissent; sin vero uxor, marito consensum dare recusante, auctoritate judicis successionem adiit, creditores, bonis successionis non sufficientibus, tantum jus habent *nudam proprietatem* bonorum uxoris conveniendi. Durum enim fuisset, si maritus postquam in aditionem consentire noluit, damnum tamen pateretur, cum perderet fructus, qui partem communionis efficiunt. *Art.* 10, *ibique Respons. ad observ*, Ceterum hæc tantum pertinent ad casum, quo uxor successionem adiit auctoritate judicis, *invito marito*, (*uit hoofde van des mans weigering*) quodsi enim propterea auctoritate judicis uxor successionem adiit, quod maritus absens est, aut voluntatem suam declarare non potest, videtur hæc aditio eundem effectum habere, ac si maritus consensum suum dedisset. *Argum Art.* 22.

3°. Quum successio sit partim *mobilis*, partim *immobilis*, de debitis, quibus gravata est, communio non tenetur, nisi pro portione, quam res mobiles in debitis ferre debent, comparatione facta, ratione valoris, inter res mobiles et immobiles.

Computatur autem hæc portio secundum inventarium, quod maritus confici curare debet, sive propria auctoritate, quando ad ipsum successio pertinet, sive utpote gubernator atque auctor jurium et actionum uxoris, si huic

hereditas obvenit. *Art.* 11. Deficiente autem inventario, et quandocunque hic defectus uxori damnum affert, hæc ejusve heredes post dissolutam communionem agere possunt ad damnum resarciendum, imo vero cum per titulos chartasque domesticas, tum per testes, ac, si opus est, etiam per communem famam probare possunt, in quibusnam rebus constiterint bona, quorum inventarium non est factum, et quinam fuerit eorum valor. *Art.* 12. Ea tamen, quæ de successione partim mobili, partim immobili diximus, non impedimento sunt, quominus hoc casu creditores jus suum persequantur, in bona communionis, sive successio contigerit marito, sive uxori, dummodo hæc consensu mariti eam adiverit, omnique casu alter conjux ejusve heredes indemnes praestentur.

Idem quoque locum habet, quando uxor hereditatem auctoritate judicis adierit, et nihilominus res mobiles cum bonis communionis fuerint commixtae, sine inventario antea facto. *Art.* 13. Ratio est, quoniam hoc casu maritus videtur ratihabuisse aditionem.

Quando autem ejusmodi successio ab uxore auctoritate judicis, marito consensum dare recusante, adita est, et factum est inventarium, creditores ad solutionem impetrandam, convenire non possunt, nisi bona mobilia atque immobilia successionis, iisque non sufficientibus, nudam proprietatem bonorum, quæ uxoris propria sunt. *Art.* 14.

Omnia autem, quæ hucusque de successionum debitis dicta sunt, uti etiam ad donationes sunt referenda, *Art.* 15. ita nunc pauca tantum dicenda supersunt de debitis ab uxore stante matrimonio contractis; et siquidem uxor consensu maritiæs alienum contraxit, creditores ad solutionem consequendam persequi possunt tam bona communionis, quam mariti et uxoris; damnum autem, quod inde communioni aut marito ortum fuerit, resarciendum est. *Art.* 16. De debito autem quod uxor, vi mandati, sive generalis, sive specialis mariti contraxit, communio tenetur; neque possunt hoc casu creditores actionem instituere contra uxorem, ejusve bona convenire. *Art.* 17. Ratio legis est, quod respectu ejusmodi debiti, uxor, quemadmodum quilibet alius mandatarius est consideranda; ceterum hæc dispositio omitti potuisset, quippe quæ non videtur ad materiem communionis directè pertinere.

SECTIO IV.

De administratione communionis et de effectibus actuum utriusque conjugis, quod attinet ad societatem conjugalem.

Solus maritus bona communionis administrat, eaque potest vendere, alienare atque hypothecæ obligare, sine consensu uxoris. *Art.* 18. Hæc ejus potestas, quibusdam Ordinum generalium sectionibus nimia visa est, quippe quae desiderabant, consensum uxoris ad alienanda immobilia requiri. At vero soli marito, cum caput sit societatis conjugalis, ea facultas competit. Quis enim

casu dissensionis inter virum et uxorem quaestionem decideret? Nonne revera, si uxoris consensu ad alienanda immobilia opus esset, ejus suffragium hac in re praeponderaret, quoniam maritum impediret, quominus id ageret, quod communioni proficere existimaret? In plerisque Provinciis, quibus patria nostra constat, solus maritus olim potestatem habebat immobilia communionis alienandi, et in multis hæc ejus potestas adhuc augebatur, quoniam *omnia* immobilia ad communionem pertinebant. In quibusdam aliis provinciis maritus etiam facultate gaudebat alienandi bona uxoris immobilia, quæ exclusa erant e communione; auctores igitur Codicis nostri, mediam sententiam probaverunt, eo effectu, ut solus quidem maritus jus habeat alienandi immobilia *communionis*, non vero possit alienare ea, quæ ad uxorem pertinent; cum autem ab altera parte uxor secura esse debeat, ne maritus nimis prodigus bona communionis dilapidet, *titulo VII* jus ipsi tributum est, propter immodicas largitiones mariti, separationem bonorum petendi, qua occasione observandum est, veram hic emendationem esse introductam, cum remedium separationis bonorum etiam admissum sit, quando maritus largitionibus suis efficit, ut communio periclitetur, quod in Codice Gallico non eodem modo se habet, ubi scilicet tunc demum uxor separationem bonorum petere potest, quando ejus *dos* in periculum venerit, et metus sit, ut ex bonis mariti consequi possit, quod jure illi competit.

Art. 1443 *Cod. Nap. et confer. respons. ad observ. art.* 18 *h. tit. VI.* Præterea circumscripta est adhuc potestas mariti; nam

1°. De rebus immobilibus communionis inter vivos titulo gratuito maritus disponere nequit, neque de universitate aut certa parte mobilium, nisi ad donandum liberis communibus, unde se sustentent. Potest tamen titulo particulari res mobiles inter vivos donare in favorem cujuscunque, dummodo sibi earum usumfructum non reservaverit; *d. art.* 18, et rectè omnino sese habet hæc dispositio, alioquin enim maritus dolo malo communionem fructibus, ad eam pertinentibus privare posset, ut ad se solum eos transferret.

2°. Donatio a marito testamento facta non potest excedere partem, quam habet in communione; quando scilicet de hac portione disponit maritus, nihil aliud agit, quam substituere heredem testamentarium vel legatarium heredibus naturalibus, et uxoris nihil interest, utrum cum his, an cum illo communionem dividat, dummodo communio omnibus hisce bonis fruatur usque ad ejus dissolutionem. Res autem legata aut pertinebit ad illam communionis portionem, quæ divisione mariti heredibus competit, aut ad illam partem, quæ uxori contingit; priori casu heredes debebunt ipsam rem legatario tradere; posteriori vero, pretium dare cogentur, sive de bonis communionis, quæ ipsis contigerunt, sive de bonis, quæ mariti propria fuerunt. *Art.* 19.

Non tantum communionem maritus administrat, verum etiam omnia bona, quæ uxori propria sunt, hinc solus persequi potest omnes actiones possessorias uxoris, quæque spectant ejus res mobiles. *Art.* 23. De mariti autem potestate circa bona uxoris, sequentes regulæ sunt observandæ :

1°. Non potest alienare immobilia uxoris sine ejus consensu. *d. art.* 25.

2°. Tenetur de omni detrimento, quod bona uxori propria passa sunt defectu actuum, qui tendunt ad illa conservanda atque curanda. *Eod. art.*

3°. Si solus maritus bona uxoris, in longius tempus, quam novem annorum locaverit, hæc locatio, dissoluta communione, non obligat uxorem, ejusve heredes, nisi pro tempore, quod currere adhuc debet usque ad finem, sive primæ periodi novem annorum, si nondum impleta est, sive secundae, et sic porro, ita ut conductor tantum jus habeat, implendi usum temporis novem annorum, qui adhuc currunt. *Art.* 24. Si autem solus maritus, praedium rusticum uxoris ante annum tertium, domum vero ante secundum annum, priusquam impletum sit tempus locationis, quod currit, sive eidem conductori, sive alii in novem annos, aut etiam in minus spatium locaverit, haec locatio nullius momenti est, nisi ejus exsecutio inchoata sit ante dissolutam communionem. *Art.* 25.

Ex omnibus iis, quae hactenus diximus, patet

legislatores Belgicos, ad instar auctorum Codicis Gallici, magnopere in illud operam dedisse, ne quid patrimonium uxoris detrimenti capiat, ut inviolata maneant ejus jura, atque praevertatur omnis fraus mariti ; hujus autem rei plura etiam exempla adferre possumus. Sic :

1°. Uxor, quae se cum marito in solidum respectu rerum communionis, aut mariti obligavit, non aliter, ratione mariti, nisi tanquam cautio consideratur, atque indemnis praestari debet de obligatione quam inivit. *Art.* 26. Habet quidem etiam maritus regressum adversus uxorem, sed tantum casu, quo convenitur ad praestandam evictionem, quam promisit, occasione venditionis rei immobilis *uxoris propriæ*. *Art.* 27.

2°. Si vendita sit res immobilis alterutri conjugi propria, aut si pro pecunia redemtae sint servitutes, quae debebentur fundo, ad alterutrius patrimonium pertinenti, pretium autem non ad alium usum adhibitum, sed in communionem infusum sit; tunc conjux, cujus res immobilis vendita aut servitutes redemtæ propriae erant, jus habet, earum pretium e communione praecipiendi. *Art.* 28. Hoc autem jus, si res immobilis mariti erat, tantum in bona communionis exercetur; si vero uxoris, haec potest etiam convenire bona mariti propria, quum communio non sufficiat. Utroque autem casu pretium tantum restituendum est, quo res vendita est, nulla ratione habita ejus valoris. *Art.* 31. Ut pretium censeatur in alium usum esse adhibitum, si quidem res vendita mariti fuerat, re-

J.

quiritur tantum, ut hic in instrumento, quod de translatione dominii conficitur, declaraverit, pretium, quo res acquisita est, provenisse ex alienatione rei suae immobilis. *Art.* 29. Si vero res vendita uxoris fuerat, insuper requiritur, ut haec rem acquisitam in locum venditae expressè acceptaverit, quod cum non fecerit, tantum jus habet, dissoluta communione, petendi pretium rei immobilis alienatae. Rogavit sectio quaedam Ordinum generalium, nonne tempus statui deberet, intra quod uxor declarare teneretur, utrum rem acquisitam in locum venditae acceptare velit, an minus? Responsum est, hoc non facile fieri posse, quum uxor saepe ignoret, maritum pro pretio rei immobilis venditae, aliam rem acquisivisse. *Art.* 30. *Ibique Respons. ad observ.*

3°. Dos a solo marito proli communi e bonis communionis data vel promissa, oneri est communioni, et uxor, si communionem acceptat, de dimidia parte dotis tenetur, nisi maritus expressè declaraverit, se integram dotem, aut plus dimidiâ parte esse praestiturum. *Art.* 34; uxor igitur hic beneficio gaudet, ut nihil ad dotem conferre teneatur, dummodo communioni renunciet. Si vero pater materque simul prolem communem dotarunt, neque declaraverunt, quantam quisque partem tribueret, uterque censetur dimidiam partem contulisse, sive dos data vel promissa consistat in rebus communionis, sive in rebus alterutri conjugum propriis; quo ultimo casu conjux, cujus res propria in

dotem est constituta, actionem habet adversus alterum, ad repetendam dimidiam dotis partem, ratione habita valoris, quem res tempore donationis habuit. *Art.* 33.

Sectiones quaedam Ordinum generalium rogarunt, cur *art.* 1440 *Cod. Nap.* hoc loco sit omissum; et rectè omnino responsum est, illum articulum non directè pertinere ad communionem bonorum, sed obligationem definire ejus, qui dotem constituit, erga donatarium, ideoque referri etiam posse, cum ad extraneos, qui dotem promittunt, tum ad quascunque hujus generis conventiones; quod autem ad usuras dotis attinet, observatur, hac de re actum iri in *titulo*, qui tractabit *de eo*, *quod interest. vid. Respons. ad observat. Art.* 34.

In universum denique circa administrationem communionis sequentia sunt observanda:

a. Quoties pecunia e communione sumta est, sive ad solvenda debita vel onera, sive ad recuperanda, conservanda, vel reficienda (*) bona, quae alterutri conjugi propria sunt, communio hac de re indemnis est praestanda. *Art.* 32.

b. De mulctis, ceterisque pecuniae summis ad quas solvendas maritus propter delicta condemnatus est, communio conveniri potest, quo tamen casu uxor indemnis est praestanda. De illo autem, ad quod solvendum uxor propter

---

(*) Excipiuntur reparationes, quas facere etiam debet fructuarius. *Art.* 6, n° 4.

delicta est condemnata, sola nuda proprietas bonorum, quae ipsius propria sunt, durante communione, tenetur. *art.* 20. Ratio discriminis in eo consistit, quod maritus, utpote solus administrationem communionis habens, etiam actibus suis, conventionibus et delictis, eam obligare potest, cum e contrario uxor nullo modo de bonis communionis disponendi facultatem habeat, ideoque nudam tantum proprietatem bonorum ad ipsam solam pertinentium, delictis suis obligare possit. *Vid Respons. ad observ. d. art.* 20.

Vidimus igitur solum maritum communionem administrare, eamque obligare posse; hinc uxori nihil quidquam agere licet, quo communionem obnoxium reddat, imo vero neque eam auctoritate judicis, invito marito, actibus suis obligare potest. *Art.* 21. Cujus rei ratio in eo posita est, quod omnes ejusmodi actus ad sola tantum ejus bona propria pertinere possunt, ideoque durum foret, si uxor, cum contra mariti voluntatem agat, nihilominus propter negotia, quae ad communionem non pertinent, damno eam afficere posset. *vid. Respons. ad observat. d. art.* 21. Duobus tamen casibus uxor communionem obligare potest:

1°. Quando publicè mercaturam facit, atque obligatio commercium suum spectat. *d. art.* 21 *et conf. art.* 11 *tit.* V.

2°. Quando maritus absens est, aut nullo modo voluntatem suam manifestare potest, quo casu uxor auctoritate judicis indiget. *Art.* 22.

SECTIO V.

Quomodo communioni legali derogari possit.

Antequam ad dissolutionem communionis transeamus, paullo subsistendum est, ut videamus, quomodo haec communio contractibus futurorum conjugum possit extendi, vel restringi; qua de re agitur *titulo VIII*, qui inscribitur : *de conventionibus nuptialibus*. Hic autem titulus dividitur in quatuor *sectiones*, quarum prima dispositiones quasdam generales continet; altera statuit principia ac consequentias communionum quarumdam, secundum quas conjuges in contractu nuptiali nomine generali declarare possunt, se matrimonium inire; tertia tractat de donationibus inter futuros conjuges, et quarta denique regulas praescribit donationum, quae iisdem eorumque liberis ab aliis fieri possunt.

§ 1.

De generalibus legis Belgicæ circa conventiones nuptiales principiis.

Omnium legis Belgicae dispositionum circa conventiones nuptiales prima et praecipua haec est : maxima conjuges libertate in conficiendis contractibus nuptialibus gaudere, adeo ut unusquisque ea possit stipulari, quae commodis suis convenire videantur; neque alii huic libertati termini sunt constituti, quam boni mores, ordo publicus et regulae generales, quae statum familiae atque ordinem succedendi

definiunt; hinc *art.* 1, *tit. VIII* statutum est, futuros conjuges praeceptis, quae de communione legali proposita sunt, quibusvis conventionibus posse derogare, dummodo non contrariae sint bonis moribus vel ordini publico, et praeterea regulae sequentes observentur:

1°. Non possunt contrahentes minuere jura, quae profluunt e maritali vel patria potestate, vel quae lex illi conjugi contulit, qui alteri supervixerit. *Art.* 2, *tit.* VIII. Hujus rei ratio est, quod jura, quae lex conjugi superstiti tribuit, ordinem publicum spectant, et pertinere etiam possunt ad tertios, verbi causa, ad liberos, ex conjugum matrimonio procreatos. *Vid. respons. ad observ. d. art.* 2. Nulla igitur stipulatione conjuges convenire possunt, maritum non fore caput familiae, eum non administraturum communionem, uxorem solam curam educationis liberorum esse gesturam, ejus solius consensum ad matrimonium liberorum requisitum iri, aut eam immobilia propria auctoritate alienandi facultatem esse habituram, quaeque hujus generis plura possunt enumerari. Habet tamen uxor facultatem, administrationem bonorum suorum mobilium atque immobilium, et liberum usum redituum suorum sibi reservandi. *d. art.* 2. Rogaverunt sectiones quaedam Ordinum generalium, utrum non hac dispositione revera intelligi debeat conventio *separationis bonorum*, et quidni igitur hoc casu disertis verbis id esset enunciatum? Responsum est, primam hujus tituli *sectionem* generaliter agere de conventionibus nuptialibus,

non distinguentem nominibus specialibus stipulationes, quas partibus pacisci placeat; *articulum* autem 2 *in fine* statuere, conjuges non posse recedere a juribus quæ marito, utpote capiti societatis conjugalis, propria sunt, excepta stipulatione, qua uxor sibi administrationem rerum suarum mobilium atque immobilium, nec non liberum usum redituum reservaret. Hac igitur stipulatione revera communio excluditur et separatio bonorum sponte sua obtinet; nulla vero causa fuit, cur lege huic stipulationi peculiare tribueretur nomen, cum præterea hanc conventionem *separationem bonorum* nuncupando, confusio idearum oriretur, ratione *separationis bonorum* de qua *titulo VII* agitur. *Vid. Respons. ad observ. d. art.* 2.

2°. Non possunt conjuges contractu nuptiali renunciare portioni, quam lex iis in successione descendentium tribuit, vel statuere de horum successione. *art.* 3; firma enim successionis legalis principia, cum in publicam utilitatem constituta sint, conventionibus peculiaribus mutari nequeunt.

3°. Non valet stipulatio, qua alteruter conjugum majorem partem in oneribus ferret, quam qua in commodis fruitur. *Art.* 4.

4°. Conjuges generaliter convenire nequeunt, eorum consociationem locum esse habituram secundum leges extraneas, aut secundum consuetudines, codices, vel cujuscunque generis leges, quae antea in diversis patriae nostrae partibus vim habuerunt. *Art.* 5.

5°. Foedus, quo duae familiae conjunguntur, oportet esse firmum et stabile, ita ut neque mutari neque supprimi possit; hinc orta est necessitas, ut contractus nuptiales fiant instrumento authentico, coram notario, ante celebrationem matrimonii. *Art.* 6. Hinc porro mutationes, quae ante hanc celebrationem fiunt, enunciari debent in instrumento, eadem forma confecto, ac ipse contractus nuptialis, omnibusque personis praesentibus, quae in contractu *partes* (*) fuerunt; *Art.* 7. hinc denique contractus nuptiales nullo modo post celebratum matrimonium mutari possunt. *Art.* 8.

6°. Contractus nuptiales effectum habent a die celebrationis nuptiarum, neque aliud tempus statui potest, quo vim nancisci incipiant. *Art.* 6. *in fine.*

7°. Minores, qui matrimonii contrahendi facultatem habent, possunt etiam consentire in omnes conventiones, quae contractu nuptiali fieri possunt, dummodo ipsis in contractu adsistant ii, quorum consensus ad ineundum matrimoninm requiritur; quando autem matrimonium con-

---

(*) A sectione quadam Ordinum generalium, rogatum est, nonne melius foret statuere, mutationes fieri debere, præsentibus partibus, *quarum interest*, ita ut harum numero non comprehenderentur illi, qui tantum *honoris causa* adfuerunt? Responsum est, *partes*, sensu juridico, illos tantum significare, *quorum interest*, non vero eos etiam, qui solummodo *honoris causâ*, contractum subscribunt. *Vid. Respons. ad observ. Art.* 7.

trahitur auctoritate judicis inferioris, secundum *art.* 14. *tit* IV specimen conventionum nuptialium jungendum est libello, quo auctoritas ad nuptias ineundas rogatur, ut de utroque simul statuatur. *Art.* 10.

8°. Cum communio legalis propriê sit tacitus contractus, quem, deficientibus conventionibus nuptialibus, lex pro conjugibus constituit, isque contractus publicè notus sit, sequitur, stipulationes, quibus huic contractui derogatur, ratione tertiorum omni vi esse destitutas, nisi derogatio etiam palam sit reddita; hinc constitutum est, ut nulla clausula conventionum nuptialium, qua communioni legali derogatur effectum haberet ratione tertii, nisi a die quo inscripta est *libro publico* (*openbaar register*) eam ob causam conficiendo in Grapheo Tribunalis loci, ubi celebratae sunt nuptiae, vel ubi transcriptum est matrimonium extra regni territorium initum. *Art.* 11.

9°. Conventiones nuptiales, cum censeantur factae esse sub conditione, *quum nuptiae sequantur*, nullius momenti sunt, quamdiu haec conditio non impleta est. *Art.* 12.

Rogavit sectio quaedam Ordinum generalium, nonne constitui oporteat, pacta nuptialia fore nulla, post certum intervallum inter conventiones factas, et matrimonium celebratum, vel etiam in casu, quo alterutra partium interim aliud matrimonium iniverit? Rectè autem ad priorem casum responsum est : qnum usque ad momentum, quo nuptiae celebrantur, contractus

K.

nuptiales mutare partibus liceat, idcirco ipsas censeri in conventionibus factis perseverasse, non obstante quantocunque intervallo inter contractum et matrimonii celebrationem, ac praeterea pendere a voluntate cum futurorum conjugum, tum partium intervenientium stipulari conditionem, *nuptias intra certum tempus esse celebrandas. Vid. Respons. ad observat. Art.* 12. Si vero alteruter conjugum durante intervallo, inter pactum nuptiale, atque matrimonium alias contraxerit nuptias, secundum nostram sententiam, nullum dubium est, quin contractus ille nuptialis nullius momenti sit.

10°. Quando rerum mobilium e communione exclusarum, in ipso contractu nuptiali descriptio non est facta, non admittitur probatio, eas res ab alterutro conjugum esse allatas, alia præter eam, quæ fit ope inventarii, a Notario partibusque subscripti, atque adnexi instrumento originali contractus, quod apud Notarium depositum manet, (*minuut van het huwelijks-kontrakt*), et in quo hujus rei mentio fieri debet. *Art.* 9.

§ 2.

De quibusdam communionis speciebus, quas nomine generali contrahentes possunt stipulari.

Altera hujus tituli sectio complectitur tres species communionum, quas tanquam in patria nostra frequentiores et maxime vulgares, nomine generali partes stipulari possunt; non tamen ad

hunc parvum numerum lex restrinxit modos, quibus communioni *legali* derogari licet; voluit enim in hac materie hominum voluntatem non aliis circumscribendam esse limitibus, quam quas posuit utilitas publica; sed cum legislatores nostri maximam hac in re contrahentibus libertatem concedentes, nostros hic imprimis mores respiciendos esse putarent, e Codice omiserunt multiplicia illa pacta nuptialia (*), quæ in jure Gallico inveniuntur, et quæ neque moribus nostris atque consuetudinibus, neque commodis ullo modo possunt convenire. Licet vero lex non specialiter de illis conventionibus egerit, quas quemadmodum *leges extraneas* considerat, non tamen partibus prohibitum est, illas stipulari, dummodo clarè in contractu naturam, vim, atque effectus ejusmodi pacti exponant. *Argum. art.* 5.

Tres autem communionum species, de quibus diximus, hae sunt :

(*) Maximè huc pertinet *regimen dotale*, cujus pacti in patria nostra fere nulla, atque in ipsius Galliæ provinciis septentrionalibus rara admodum afferri possunt exempla; hujus igitur conventionis auctores Codicis nostri nullam mentionem fecerunt; et si quid in *dotem* allatum fuerit, silentium legis partibus facultatem tribuit, hac de re stipulandi, quodcunque libuerit, dummodo nihil agatur contra regulas, quas supra de contractibus nuptialibus universè retulimus; quum vero nihil partes circa bona *dotalia* in contractu statuerint, nullum dubium est, quin hæc bona secundum *communionem legalem* regantur.

1°. Communio universalis;

2°. Communio lucri et damni;

3°. Communio fructuum et redituum.

Sufficit igitur contrahentes generaliter declarare, se nuptias inire velle secundum unam alteramve harum communionum, ut excludantur omnes communionis legalis dispositiones contrariæ, utque conjugum bona regantnr secundum normam, quæ propria est communioni, quam adoptant.

Communio *universalis* complectitur omnia conjugum bona mobilia, atque immobilia, præsentia et futura, etiam ea, quæ titulo gratuito acquisiverunt, nisi testator vel donator contrarium voluerit. *Art.* 13. Ac vicissim hæc communio tenetur de omnibus conjugum debitis sive ante matrimonium, sive stante eo, contractis. *Art.* 14.

Dissolvitur communio *universalis* iisdem modis, quibus infrà communionem *legalem* dissolvi videbimus. *Art.* 15. Dissoluta autem ea, bona duabus partibus æqualibus inter maritum et uxorem, eorumve heredes dividuntur, nulla ratione habita, a quanam parte hæc bona provenerint; in qua divisione observandæ sunt regulæ, quæ in titulo *de collatione et divisione inter coheredes* statuentur. *Art.* 16. A qua tamen dispositione hanc legislatores nostri statuerunt exceptionem; ut scilicet conjux superstes jus habeat repetendi vestimenta, gemmas similesque res pretiosas (*kleinoodien*), instrumenta, quibus utitur in professione sua exercenda, bi-

bliothecas et collectiones rerum ad artes disciplinasque pertinentium, soluto pretio, quo res illæ fuerint æstimatæ. *Art.* 17. Hæc dispositio in omnibus fere provinciis, in quibus antea communio universalis locum habebat, ad hujus systema pertinebat, ideoque, cum etiam hodie moribus nostris et consuetudinibus consentanea sit, restituta est, ut ita satisfieret desiderio illorum, qui aliquod ei pondus et momentum tribuerent.

Post dissolutam communionem *universalem* unusquisque conjugum tenetur tantum pro dimidia parte de debitis, stante matrimonio contractis, nisi alteruter se in majorem partem obligaverit. *Art.* 15. Rogatum est, nonne statui deberet, ut uterque conjux *in solidum* obligatus maneret ratione debitorum, stante matrimonio contractorum ? Responsum est, quamdiu bona communionis nondum divisa sunt, ea obligata manere creditoribus, sed divisione factâ, non majorem causam adesse, cur conjuges eorumve heredes *in solidum* conveniantur, quam hoc obtinet ratione coheredum, qui successionem inter se diviserunt, et pro *virili* tantum parte obligati sunt. *vid. Respons ad observ. art.* 15. Hæc vero dispositio non pertinet ad debita ante nuptias contracta ; de his enim post communionem dissolutam tenetur tantum conjux, qui ea contraxit, ejusve heredes, salvo regressu adversus alterum conjugum, vel ejus heredes, ad dimidiam partem repetendam. *Art.* 18. Verum quidem est, creditores, communione durante,

1°. Communio universalis;

2°. Communio lucri et damni;

3°. Communio fructuum et redituum.

Sufficit igitur contrahentes generaliter declarare, se nuptias inire velle secundum unam alteramve harum communionum, ut excludantur omnes communionis legalis dispositiones contrariæ, utque conjugum bona regantnr secundum normam, quæ propria est communioni, quam adoptant.

Communio *universalis* complectitur omnia conjugum bona mobilia, atque immobilia, præsentia et futura, etiam ea, quæ titulo gratuito acquisiverunt, nisi testator vel donator contrarium voluerit. *Art.* 13. Ac vicissim hæc communio tenetur de omnibus conjugum debitis sive ante matrimonium, sive stante eo, contractis. *Art.* 14.

Dissolvitur communio *universalis* iisdem modis, quibus infrà communionem *legalem* dissolvi videbimus. *Art.* 15. Dissoluta autem ea, bona duabus partibus æqualibus inter maritum et uxorem, eorumve heredes dividuntur, nulla ratione habita, a quanam parte hæc bona provenerint; in qua divisione observandæ sunt regulæ, quæ in titulo *de collatione et divisione inter coheredes* statuentur. *Art.* 16. A qua tamen dispositione hanc legislatores nostri statuerunt exceptionem; ut scilicet conjux superstes jus habeat repetendi vestimenta, gemmas similesque res pretiosas (*kleinoodien*), instrumenta, quibus utitur in professione sua exercenda, bi-

bliothecas et collectiones rerum ad artes disciplinasque pertinentium, soluto pretio, quo res illæ fuerint æstimatæ. *Art.* 17. Hæc dispositio in omnibus fere provinciis, in quibus antea communio universalis locum habebat, ad hujus systema pertinebat, ideoque, cum etiam hodie moribus nostris et consuetudinibus consentanea sit, restituta est, ut ita satisfieret desiderio illorum, qui aliquod ei pondus et momentum tribuerent.

Post dissolutam communionem *universalem* unusquisque conjugum tenetur tantum pro dimidia parte de debitis, stante matrimonio contractis, nisi alteruter se in majorem partem obligaverit. *Art.* 15. Rogatum est, nonne statui deberet, ut uterque conjux *in solidum* obligatus maneret ratione debitorum, stante matrimonio contractorum? Responsum est, quamdiu bona communionis nondum divisa sunt, ea obligata manere creditoribus, sed divisione factâ, non majorem causam adesse, cur conjuges eorumve heredes *in solidum* conveniantur, quam hoc obtinet ratione coheredum, qui successionem inter se diviserunt, et pro *virili* tantum parte obligati sunt. *vid. Respons ad observ. art.* 15. Hæc vero dispositio non pertinet ad debita ante nuptias contracta; de his enim post communionem dissolutam tenetur tantum conjux, qui ea contraxit, ejusve heredes, salvo regressu adversus alterum conjugum, vel ejus heredes, ad dimidiam partem repetendam. *Art.* 18. Verum quidem est, creditores, communione durante,

jus habuisse solutionem persequendi in omnia bona communionis, quippe quæ tunc confusa erant; sed quando hæc confusio modo legitimo cessavit, quando unusquisque conjux portionem suam accepit, creditor, qui ante dissolutionem communionis jus suum persequi neglexit, revertitur in eandem conditionem, in qua ante nuptias contractas versabatur; tunc enim temporis non ambo conjuges ejus debitores erant, sed alteruter tantum; cessantibus autem circumstantiis quæ dicuntur, intermediis, *ipsi plane extraneis*, non amplius actionem suam instituere potest adversus alterum conjugum, cum quo non contraxerat. Hic igitur adplicandum est axioma: *cessante causa cessat effectus. conf. Respons. ad. Observ. art* 18.

Sunt praeterea sicut supra vidimus duae aliæ species communionis, quas partes nomine generali stipulari possunt, nempe *communio lucri et damni*, *et communio fructuum et redituum*, quæ non aliter a se invicem differunt, quam ratione aeris alieni *futuri*. Ex illa enim communione excluduntur debita ante matrimonium contracta, ex hac vero debita tam praesentia quam futura. Quamvis igitur hae duæ communionis species, quippe non multum a se invicem discrepantes, fortasse in uno eodemque articulo conjungi potuissent, tamen auctores Codicis melius duxerunt separatim de iis commemorare, quoniam in quibusdam Regni Provinciis haec, in aliis vero illa frequentissimè locum habere solet, ideoque earum sequelae legales mentionem expressam et

peculiarem merebantur. *Vid. art.* 20 *et seqq. et confer. Respons. ad Observ. h. art.*

In utraque communione de *bonis mobilibus* idem dicendum est; in neutra enim comprehenduntur res mobiles, quas conjuges die celebrationis matrimonii possident, neque eae, quas deinceps titulo donationis aut successionis acquirunt. *Art.* 20 *et* 21. Hinc sequitur, dissoluta communione, postquam conjuges eorumve heredes praeceperint omnia ea, quæ allata esse, ritè probatum fuerit, et postquam soluta fuerint debita, de quibus secundum *art.* 20 communio *lucri et damni* tenetur; nihil aliud dividendum esse, nisi bona, quæ conjuges stante matrimonio titulo oneroso acquisiverunt, nec non ea, quæ ex utriusque labore atque industria, sicut etiam ex eorum parcimonia ratione fructuum et redituum, provenerunt. *Art.* 24.

Ut autem constet, quaenam bona mobilia jam ante matrimonium in alterutrius conjugum dominio fuerint, eorum descriptio fieri debet in ipso contractu nuptiali, vel in inventario subscripto a notario et partibus, et adnexo originali contractûs instrumento, in quo hujus rei mentio est facienda; quæ cum neglecta fuerint, censentur hæc bona esse *acquisita* communioni. *Art.* 22. Similiter bonorum, quæ alterutri conjugum stante matrimonio obveniunt, inventarium est conficiendum; deficiente autem ejusmodi inventario, aut titulo, e quo probari possit, in quibusnam rebus hæc bona constiterint, si ad maritum pertinent, amittit hic facultatem ea,

dissolutâ communione, repetendi; si verò ad uxorem, poterit hæc, ejusve heredes, sive instrumentis, sive per testes, sive etiam per famam communem probare, quinam horum bonorum valor fuerit. *Art.* 23. Mirata est sectio quædam Ordinum generalium, mentionem hoc loco esse factam heredum uxoris, cum e contrario nihil dicatur de mariti heredibus; sed horum mentio plane inutilis et supervacua foret; in medio enim *articulo* 23 maritus privatur facnltate recipiendi bona, quorum inventarium non fecit; unde sequitur, neque ipsius heredes ea recipere posse, propter regulam: *nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse haberet. l.* 54. *ff. de Reg. Jur.* Sed e contrario in ejusdem articuli fine uxori facultas tribuitur, quæ forsan intelligi posset ad ipsam solam pertinere, nisi expressa dispositione statutum esset, eam etiam ad ejus heredes transire. *Vid Responsiones ad observat. d. art.* 23.

§. 3.

De donationibus inter conjuges futuros.

Tertia hujus tituli *sectio* de donationibus agit, quas conjuges sibi invicem contractu nuptiali facere possunt. Hac de re nos etiam hujus contractûs occasione videamus.

Quælibet igitur donationes ab altero conjuge alteri, vel ab utroque mutuò fieri possunt contractu nuptiali, salva earum reductione si excedunt portionem, de qua disponi potest. *Art.* 26.

Valent hæ donationes sine acceptatione expressa donatarii; *Art.* 28, quoniam celebratio matrimonii acceptationi æquiparatur. Porro illud proprium habent ejusmodi donationes, quod fieri possunt sub conditionibus, quarum exsecutio pendet a voluntate donatoris; qua in re a jure communi est aberratum in favorem matrimoniorum; saepe enim donator ejusmodi donationes facere dubitaret, nisi ipsi liceret conditiones addere, quæ a voluntate sua pendent. *Vid. Respons. ad observ. art.* 29.

Donationes illæ consistere possunt, sive in bonis præsentibus atque in instrumento definitis, sive in successione, vel parte successionis donatoris. *Art.* 27. Quum in bonis præsentibus atque definitis consistunt, non possunt revocari, nisi propterea, quod non sint impletae conditiones; (*) quum vero donatoris successio, vel pars successionis donata sit, hæc donatio hoc tantum sensu revocari nequit, ut donator de rebus in donatione comprehensis non amplius titulo gratuito disponere possit, exceptis modicis summis, quæ remunerandi gratiâ dantur, vel propter alias causas, quæ arbitrio judicis relinquuntur. *Art.* 31. Etiam propter non impletas conditiones, ejusmodi donationes possunt revocari. *Eod. art.*

(*) Rectè ejusmodi donationes non propter ingratum animum revocantur. Talis enim donatio revera est còntractus; ingratus autem animus non est modus, quo contractus dissolvuntur. —

Sic igitur legibus nostris sancitum est, ut hoc solo casu revera *testamenta* sub forma contractûs fieri possint, utque contra regulam, *ambulatoriam esse hominum voluntatem usque ad extremum vitæ halitum*, ejusmodi actus revocari nequeant. Magnopere hac de re disputatum fuit, et ab utraque parte satis firma quidem adduci possunt argumenta. Nam contra testamenta illa irrevocabilia dici potest, ea videri contraria bonis moribus, et utilitati publicæ; quoniam donatarius ita nanciscitur jus irrevoin successione donataris viventis, unde sequitur, eum hoc jus quocunque titulo ad alios posse transferre; nemini enim facultas potest auferri, de jure suo quæsito, sicut libet, disponendi; porro, si donatarius solvendo non est, possunt creditores jus illud in successione futura donatoris considerare tanquam *in bonis* debitoris, illudque ad solutionem consequendam convenire, quibus casibus fieri posset, ut jus in hereditate alicujus viventis vendatur vel ad tertios transferatur, quod bonis moribus repugnare, manifestum est. Denique non quis privari debet facultate, voluntatem suam, quamdiu vivit, mutandi, maximè quoniam effectus ejusmodi donationis esse possit, ut improbus donatarius impunè donatorem contumelia injuriisque afficiat, cum hic jus non habeat eum hac de re mutatione testamenti puniendi; ut silentio pætereantur majora pericula, quibus donator donatarii avaritia atque cupiditate exponi possit.

Argumenta autem, quæ pro ejusmodi here-

dum institutionibus afferri possunt, quæque apud legislatores nostros prævaluisse videntur, hæc fere sunt : Quamvis in omnium fere populorum legibus adoptatum sit juris principium, unumquemque facultatem debere conservare, voluntatem suam, usque ad extremum vitæ halitum mutandi, hujus tamen regulae in plerisque regionibus Europæ, atque etiam in quibusdam provinciis Hollandicis, exceptionem datam fuisse ratione heredis institutionum pactis nuptialibus contractarum, quæ saepe considerari debent tanquam fundamentum multorum matrimoniorum, quæ sine ejusmodi conventionibus non inita fuissent; unde maxima incommoda nascerentur, quia utilitatis publicæ interest, quam plurima matrimonia contrahi. Porro tales donationes cum donatori prodesse, tum donatario; donatori, quia se non bonis suis privat, dum vivit; donatario, quoniam spem certam fovere potest, fore ut post donatoris mortem in ejus bona succedat; quod autem suprà dictum est, ejusmodi heredum institutionum effectum fore, ut hereditas viventis vendatur, aut ad tertios transferatur, hoc vix et ne vix quidem locum posse habere, cum donator non privatur facultate, bona quæ in donatione comprehunduntur, vendendi, hypothecæ obligandi, aut alio modo alienandi, dummodo non titulo gratuito de iis disponat. Denique ad illud argumentum, fieri posse, ut donatarius impunè de donatore malè mereatur, respondetur, hoc non tanti esse momenti, ut propterea tam utilis et neces-

saria dispositio e legibus nostris tollatur, cum præterea experientia docuit, nullos unquam inde abusus esse ortos, et e contrario talia pacta effecisse, ut contracta sint multa matrimonia, quæ alioquin locum non habuissent.

Hanc sententiam et nostram facimus; speramus tamen fore, ut occasione contractuum, in Codice nostro expressè prohibeatur, actum quendam aut conventionem de hereditate viventis inter tertios fieri.

Si donator sibi in ipso instrumento reservaverit facultatem disponendi de aliqua re ad donationem bonorum præsentium ac definitorum pertinente, aut de pecuniæ summa ex illis bonis sumenda, hæc res aut pecuniæ summa censetur in donatione comprehensa esse, ideoque ad donatarium ejusve descendentes pertinet, si donator mortuus est, antequam de ea disposuit. *Art.* 32. Ratio est, quoniam conditiones, quæ fiunt in donationibus propter nuptias, semper interpretandæ sunt quam latissimè, et maximè in favorem eorum, quorum conjunctionem provocaverunt.

Donationi bonorum præsentium ac definitorum inter conjuges contractu nuptiali factæ non censetur inesse conditio *si donatarius donatori supervixeret*, nisi partes de hac conditione expressè convenerint. *Art.* 33. Sed donatio sive simplex, sive mutua successionis, aut partis successionis, eo casu quo conjux donator conjugi donatario supervixerit, non transmittitur ad liberos ex hoc matrimonio procreatos. *Art.* 34,

Ratio discriminis est, quod nemo heres esse potest, nisi tempore mortis ejus, de cujus hereditate agitur, in vivis sit.

§ 4.

De donationibus quæ futuris conjugibus, liberisque ex eorum matrimonio nascituris ab aliis fiunt.

Quarta denique hujus titulo *sectio* de donationibus agit, quæ futuris conjugibus eorumque liberis nascituris fiunt ab aliis. Possunt igitur omnes ii, qui facultate gaudent de bonis suis liberè disponendi, sive contractu nuptiali, sive instrumento peculiari, ante matrimonium celebratum et propter illud coram Notario confecto, quaslibet futuris conjugibus facere donationes, salva earum reductione, si portionem, de qua disponi potest, excedant. *Art.* 35. Quum hae donationes contractu nuptiali factæ sunt, valent, etiamsi non expressè sint acceptatæ; si vero instrumento peculari, nullum effectum habent, sine acceptatione expressâ. *Art.* 36.

Ratio discriminis est, quod conjuges contractum, quo donatio continetur subscribendo et celebratione matrimonii confirmando, eam donationem acceptasse censentur, cum e contrario eorum acceptatio e nulla re constat, si donatio facta sit peculiari instrumento, cujus fortasse conjuges ignari erant; rectè igitur hoc ultimo casu eorum expressa acceptatio requiritur.

Donatio successionis aut partis successionis donatoris, licet facta sit tantum in favorem conjugum aut alterutrius eorum, semper tamen si donatarius ante donatorem mortuus sit, ad liberos ex hoc matrimonio procreatos transmittitur, ita ut tunc demum irrita sit hæc donatio, quando donator, cum donatario, tum liberis ac descendentibus, qui ex illo matrimonio provenerunt, supervixit. *Art.* 37. Ratio legis posita est in præsumta voluntate donatoris, qui censetur non tantum in conjuges, verum etiam in liberos, qui nascituri sunt, beneficium conferre voluisse. Est igitur hoc casu revera *substitutio vulgaris*, quam natura contractus tacitè in se continet, quæque expressa legis dispositione confirmatur.

Si ejusdem generis donatione unus vel plures liberi vocantur in casu, quo prædefunctus sit donatarius, hæc donatio non obstante omni contraria conventione, facta censetur in favorem omnium liberorum, ex hoc matrimonio procreandorum, sine discrimine sexus aut ætatis. *Art.* 38. Sectio quædam Ordinum generalium rogavit, cur non liceat, contractu nuptiali in favorem hujus vel illius infantis nascituri donationes facere, cum hoc tam Gallicis quam aliis legibus, testamento permissum sit? Responsum est, voluntatem contrahentium hac in re esse circumscriptam, tum quoniam pacta nuptialia revocari nequeunt, atque e contrario testamenta usque ad extremum vitæ halitum possunt mutari et revocari, tum quia legatum testamento

relictum irritum foret, si testator ante natum legatarium moriretur, quod non itidem sese haberet ratione donationis contractu nuptiali factæ, propterea quod hæc irrevocabilis est; neque igitur tanta benevolentia pro infante nondum nato dari posse visa est, ut irrevocabili favore afficiatur. *Vid. Respons. ad observ. art.* 38. Donationes, quæ conjugibus, eorumque liberis futuris ab aliis fiunt, quædam etiam communia habent cum donationibus de quibus § *præcedenti* egimus. sic;

1°. Consistere possunt tam in bonis præsentibus, et in instrumento definitis, quam in bonis, quæ donator tempore mortis est relicturus. *Art.* 27. *junct. Art.* 39.

2°. Possunt fieri sub conditionibus, quarum executio pendet a voluntate donatoris. *Art.* 29. *junct. eod. art.* 39.

3°. Æquè irrevocabiles sunt ac donationes inter conjuges futuros, et *articuli* 30 et 31, de quibus suprà vidimus, huc sunt applicandi. *d. art.* 39.

4°. Eadem etiam sunt observanda quæ § *præcedenti* diximus de re aliqua, aut pecuniæ summâ, de qua disponendi facultatem sibi reservaverit donator. *cf. art.* 32, *juncto art.* 39.

SECTIO VI.

De dissolutione communionis.

Postquam igitur vidimus, quomodo commu-

nioni derogari possit, nunc jam agamus de ejus dissolutione.

Ipso jure dissolvitur communio,

1°. Morte,

2°. Divortio,

3°. Separatione thori et mensæ,

4°. Separatione bonorum. *Art.* 35, *tit. VI.*

De morte ac divortio dicemus occasione dissolutionis matrimonii, quia tam ipsum matrimonium, quam communionem tollunt. Hoc loco tantum est observandum, post mortem alterius conjugis, si liberi minores adsint, superstitem conjugem curare debere, ut intra tres menses bonorum communionis inventarium conficiatur. *Art.* 36, *tit. VI.* Rogavit sectio quædam Ordinum generalium cur hic non addita sit poena, quæ *art.* 1442, *Cod. Nap.*, statuitur, ut scilicet conjux, qui inventarium conficere neglexit, privetur usufructu legali bonorum liberorum? Responsum est, cum nondum quæstio decisa sit, utrum, et quatenus parentes usumfructum bonorum liberorum sint habituri, idcirco auctores Codicis sibi reservasse, hanc similivemve poenam comminari in *titulo*, quo de *patria potestate* agetur. *Vid. Respons. ad. observ. d. art.* 36.

Jam hoc quidem loco de *separatione thori et mensæ* dicere possemus; cum vero hæc materies multa contineat, quæ melius intelligi poterunt, postquam de *divortio* actum erit, cumque præterea hæc separatio non tantum communionem dissolvat, verum etiam sit modus, quo

ipsius matrimonii vis plane, ut ita dicam, intermittitur, melius duximus, hac de re peculiari capite, post divortium loqui. Jam igitur ad *separationem bonorum* transeamus.

De separatione bonorum.

Lex cum antiquis temporibus, tum recentioribus semper succurrit uxori, cui mariti largitiones damnosæ esse possunt. Sic jure Romano uxor, quando dos ejus in periculo versabatur, aut res familiares mariti turbatæ esse cœperint; omnes stante matrimonio instituere poterat actiones, quas dissoluto eo, exercere potuisset, ideoque repetere poterat bona dotalia et persequi creditores mariti, qui res hujus occupaverant, dummodo eorum hypotheca non nuptiis antiquior fuerit. *Cf. l.* 29 *C. de jure dot. l.* 24 *ff. Solut. matr.* Sic autem et hodie datum est uxori remedium *separationis bonorum* (*) qua de re

(*) Jure antiquo Hollandico cognita erat *separatio bonorum*; ita enim hac de re docet GROTIUS : « *hoewel nu des mans voogdije, over s' vrouws goedt, na't gemeene landt-recht zoo verre is strekkende, als gezeidt is, zoo kan nogtans dezelve door twee middelen ingebonden werden namentlijk door Huwelijksche voorwaerden, ende door boedelscheijdinge*; et paullo inferius : *Staende huwelijk bemerkende dat den man haer tot armoede zoude brengen, vermag hij regtelijk Boedelscheijdinge te eijsschen, ende haeren man 't bewint haerer goederen te doen verbieden, welk verbod zijnde afgekundigt, zoo en kan den man daerna haere goederen niet kragtelijk vervremden,*

M.

titulus VII Codicis Belgici agit. Duos autem hîc præcipuos scopos sibi ante oculos posuerunt legislatores nostri; alterum, ut uxor a ruina, quæ ipsi imminet, servetur, alterum, ne creditores damnum patiantur fraudibus, quas improbi atque avidi conjuges inter se moliri possent.

Cum institutio separationis bonorum remedium legale sit contra malam mariti administrationem, sequitur jus eam petendi soli competere uxori, idque durante tantum matrimonio. *Art.* 1. *tit* VII. Commodum conjugum junctum utilitati publicæ causa fuit, cur statutum sit, ut conventiones nuptiales, tum expressæ, tum tacitæ, stante matrimonio nullam subirent mutationem; hinc iterum sequitur, separationem bonorum non locum habere posse mutuo conjugum consensu, sed a judice pronunciari debere, postquam huic apparuerit, adesse revera causas, quibus nititur petitio. *Art.* 2. Hæ autem causæ tres in Codice nostro enumerantur :

1°. Quando dos (*) uxoris in periculum est adducta,

---

ofte belasten, nogte haer voor zijne schulden verbinden, cf. De Groot, *Inleijdinge tot de Hollandsche Rechtgeleertheijt*, *Boek.* 1. *Deel.* 5. § 24, et loci ibi citati.

(*) Lex hic non *doti* significationem tribuit, quam jure Gallico sub regimine dotali habet, sed *dos* hoc loco sensu latiori intelligi debet, ita ut omnia bona contineat, quæ uxor in matrimonium attulit. Ita saltem docet Vir eruditissimus Nicolai in oratione, quam die 6 julii 1822, in concione Ordinum generalium pronunciavit.

2°. Quando propter turbatam rem familiarem mariti metus est, ut ne uxor ex ejus bonis consequatur, quod jure ipsi competit,

3°. Quando maritus manifesta pravitate res communionis dissipat, et uxorem certæ ruinæ exponit. *Art.* 2. et videantur quæ hac de re observavimus initio *sectionis IV hujus Capitis.*

Effectus sententiæ, qua separatio bonorum pronunciatur, retrotrahuntur ad diem, quo uxor separationem illam petiit. *Art.* 5. *in fine.* Nec tamen hoc omni difficultate majus nobis videtur. Licet enim universè aequum quidem sit, illum, qui rem sibi debitam vindicat, nullum damnum pati, e mora, cui pars adversa injusta defensione locum dat; licet hæc sibi imputare debeat, quod non ultrò justæ petitioni satisfecit, licet denique e mora sua emolumentum capere nemo debeat; idem tamen illud valere debere ratione separationis bonorum non equidem credo; hæc enim separatio mutuo consensu obtinere nequit, et maritus cum non *potuit* acquiescere petitioni, non etiam poenam oppositionis ferre debet, cum, ut uno verbo utar, non in mora sit constitutus. Scio quidem pro opposita etiam sententia argumenta afferri posse; nam maritus, durante lite, caput manens consociationis conjugalis, facile potestate sua abuti potest, ut minuat bona communionis in præjudicium uxoris, quippe quæ tantum jus haberet petendi divisionem rerum, quas maritus conservare voluerit; et præterea dicunt, maritum tempus litis calumniando posse extendere,

ut ita occasionem nanciscatur, diutius in res communionis grassandi; respondemus autem, legem jam alio modo curasse, ne uxor durante lite dissipationibus vel calumniis mariti damnum capiat; potest enim, dum lis de separatione bonorum agitur, auctoritate judicis, uti remediis, quibus præcaveat, ne bona subtrahantur aut dissipentur. *Art.* 6 Qualia autem hæc remedia sint futura, docebit Codex, qui *de Methodo procedendi in causis civilibus* conficietur. *Vid. Respons. ad observ. art.* 6. Sic igitur nobis magis placuisset, si separatio bonorum post sententiam demum, qua pronunciata est, effectum habere inciperet.

Separatio a judice pronunciata dissolvit communionem et marito adimit jus administrandi bona uxoris, non vero tollit obligationes, quas conjugibus imponit natura vinculi, quod inter eos subsistere pergit. Sic uxor recipit administrationem bonorum suorum, et impetrare potest auctoritatem *generalem* de rebus mobilibus disponendi. *Art.* 10 *h. tit.* Sed non potest sine auctoritate *speciali* stare in judicio; *art.* 8, *tit. V.* neque bona immobilia alienare, aut hypothecæ obligare. *Art.* 6, *tit. V.* Observandum est hoc loco, quum uxor bonis separata auctoritate judicis rem immobilem alienavit, ejusque pretium in alios usus convertere neglexit, maritum hac de re non teneri, nisi ad contractum perficiendum concurrat, aut probatam sit, pecuniam ab eo esse acceptam, in ejusve rem versam. *art.* 11, *tit. VII.* Porro uxor reditus suos percipit, sed

simul etiam secundum proportionem fortunæ suæ et facultatum mariti, contribuere debet sumtibus rei familiaris atque educationis liberorum; imo sola hos sumtus ferre cogitur, si marito nihil superest. *Art.* 9.

Nunc videamus, quomodo lex prospexit, ne creditores e separatione bonorum damnum capiant. Sic creditores mariti (*), jus habent judicio interveniendi, ut contradicant uxoris petitioni. *Art.* 4, Et in eum finem lex voluit petitionem, qua separatio rogatur, palam reddi; *Art.* 3. Debetque etiam ipsa separatio bonorum ante ejus exsecutionem publicari, quo neglecto, nulla est hæc exsecutio; *art.* 5. *initio* ; creditores enim mariti, qui judicio non intervenerunt, possunt se opponere separationi bonorum pronunciatæ, imo postquam jam ejus exsecutio locum habuit, dummodo conjuges in ipsorum fraudem egerunt. *Art.* 8.

Denique lex prævidit, posse conjuges astutos efficere, ut separatio bonorum pronuncietur, at tacitè secum convenire, ut communio inter sese continuetur; quod ut impediatur, constitutum est, separationem bonorum, quamvis a judice pronunciatam, nullam esse, nisi instrumento authentico probatum sit, ejus exsecutionem locum habuisse, divisione communionis et

(*) De solis *mariti* creditoribus lex loquitur; non enim facile casus ecogitari potest, quo uxoris creditorum interest, communionem non dissolvi.

solutione ejus, quod uxori jure competit, quoad bona mariti huc suffecerunt; aut nisi saltem intra mensem, post sententiam pronunciatam persecutiones judiciales inchoatæ neque interruptæ sint. *Art.* 7.

Communio dissoluta separatione bonorum, potest mutuo conjugum consensu restitui. *Art.* 12. Quo casu res in eundem statum redeunt, ac si separatio non locum habuisset. Attamen cum separatio uxori dederit facultatem negotia sua gerendi, bonaque administrandi, actus et contractus, quos fecit intervallo inter separationem pronunciatam, et communionem restitutam, valere debent. *Art.* 13. Nulla autem foret omnis conventio, qua conjuges communionem sub aliis conditionibus restituerent, quam quibus antea regebatur. *d. art.* 13 *in fine.*

Communio non potest restitui, nisi instrumento authentico; *Art.* 12 *in fine*, et conjuges effectus communionis restauratæ tertiis opponere nequeunt, quamdiu non palam fecerunt, communionem in pristinum statum esse restitutam. *Art.* 14.

Formam actionis separationis bonorum, et universè omnium eorum, quæ ad hanc materiem pertinent, definiet Codex, qui de *Methodo procedenti in causis civilibus* conficietur. *Art.* 15. In jure Gallico et *Codex civilis*, et Codex de *Methodo procedendi* hac de re agunt; hoc autem cum inutile, tum confusioni atque difficultatibus ansam præbere visum est. *vid. Respons. ad. Observat. art.* 3 *et* 5. *hujus tituli VII.*

SECTIO VII.

De acceptatione et renunciatione communionis.

Postquam communio dissoluta est, uxor ejusve heredes eam acceptandi, eive renunciandi facultate gaudent, ita ut omnis contraria conventio nullius momenti habeatur. *Art.* 38 *tit* VI.

Amittit tamen uxor facultatem renunciandi communioni,

1°. Postquam se immiscuit rebus communionis; non autem se immiscuisse censetur, quum aliquid gesserit ad res communionis administrandas tantum aut conservandas. *Art.* 39.

2°. Si in aliquo instrumento adsumserit qualitatem mulieris nuptæ in communione bonorum, etiamsi illud ante confectum inventarium fecerit, nisi dolus adfuerit a parte heredum mariti. *Art.* 40. Rogavit sectio quædam Ordinum Generalium, quare hoc non, sicut jure Gallico, (*Art.* 1455 *Cod. Nap.*) locum tantum habeat ratione uxoris *majoris*? Responsum fuit, quia nondum decisum est, an mulier nupta jure nostro semper tanquam *minor* sit consideranda. Si enim minor tantum manet, quamdiu ætatem XXIII annorum (qua omnes homines jure Belgico *majores* futuros, verosimile est,) non implevit, ratione ejus sive ipso jure, sive expressa dispositione ad hunc casum pertinente, valebunt omnia privilegia, quibus gaudent minores, ideoque supervacuum visum est, hoc loco ejus rei mentionem facere. *Vid Respons ad Observat. art.* 40. *tit VI.*

3°. Si res quasdam communionis subtraxit aut celavit; tunc enim communionem acceptare cogitur, licet jam renunciaverit, idemque de heredibus uxoris est dicendum. *Art.* 45.

Vidimus sectione praecedenti, postquam communio *separatione bonorum* est dissoluta, hanc separationem nullam esse, nisi intra mensem uxor a marito petierit, quod jure sibi competit. *cf. art.* 7 *Tit. VII.* Nunc igitur videamus de tempore, quod uxori ad deliberandum datum est, cum communio *morte* mariti est dissoluta. Et quidem intra tres menses computandos a die, quo mortuus est maritus, debet uxor curare, ut conficiatur inventarium omnium rerum communionis, convocatis mariti heredibus eum in finem, ut contradicere possint; debetque etiam uxor affirmare hoc inventarium, postquam coram persona publica clausum est, verum esse atque sincerum. *Art.* 41. *Tit. VI.* Porro intra tres illos menses et quadraginta insuper dies, in Grapheo Tribunalis, sub cujus jurisdictione maritus domicilium habuit, declarare debet, se communioni renunciare. *Art.* 42. Potest tamen uxor a tribunali secundum differentiam causarum dilationem hujus temporis petere, quae dilatio, si justae causae adsint, pronuncianda est, ritè convocatis mariti heredibus, ut contradicere possint. *Art.* 43. Neque, si intra illud tempus uxor non renunciaverit, prorsus amittit facultatem renunciandi, dummodo inventarium confecerit, nec communioni se immiscuerit; sed potest, donec renunciat, conveniri, quasi communionem accep-

tasset, et refundere debet impensas, quæ usque ad ejus renunciationem adversus eam sunt factæ. *Art.* 44. Similiter conveniri potest post XL dies a confecto inventario, si illud inventarium ante tres menses elapsos clausum est. *d. art.* 44.

Si mortua sit vidua intra tres menses, neque inventarium inchoaverit vel absolverit, ejus heredes denuo ad inventarium conficiendum vel absolvendum spatium habent trium mensium a die, quo decessit vidua, computandorum, et insuper post clausum inventarium quadraginta dies ad deliberandum; si vero jam absolutum sit inventarium, habent tantum XL dies ad deliberandum, qui a die, quo decessit vidua, currere incipiunt. Possunt etiam illi heredes communioni renunciare eadem forma, atque uxor hoc facere potuisset et *articuli* 43 et 44 ad eos quoque pertinent. *Art.* 46.

Nunc alia etiam beneficia commemoremus, quæ lex viduæ concessit. Potest enim, sive communionem acceptet, sive ei renunciet, durante tempore trium mensium et quadraginta dierum, vel etiam durante ulteriori tempore, quod ipsi secundum *art.* 43 ad inventarium conficiendum et deliberandum concessum est, ex universitate bonorum sumere, quæ sibi famulisque suis ad victum quotidianum necessaria sunt; quo tamen privilegio modicè uti debet. Eodem etiam intervallo gratis inhabitare potest domum, ad communionem vel ad heredes mariti pertinentem, et si quidem conjuges domum, in qua tempore dissolutæ communionis

habitabant, titulo conductionis tenuerant, vidua non contribuere cogitur solutioni mercedis, quæ ex universitate bonorum est sumenda. Hæc autem jura soli uxori superstiti, non ejus heredibus competunt *Art.* 77 *in fine.*

Si morte uxoris dissoluta est communio, ejus heredes ei renunciare possunt intra eadem temporis spatia, eâdemque formâ, ac potuisset uxor superstes. *Art.* 50.

Diximus igitur, quando uxor privetur facultate communioni *renunciandi*; nunc etiam videamus, quo casu amittat jus eam *acceptandi*; scilicet quum communio *divortio* vel *separatione thori et mensæ* est dissoluta; tunc enim uxor ei renunciasse censetur, si intra tres menses et quadraginta insuper dies eam non acceptavit, nisi ante hoc tempus elapsum a judice dilationem impetraverit, marito ritè citato, eum in finem, ut contradicere possit. *Art.* 47. Quæri possit, cur hoc casu uxor censeatur *renunciasse*, cum e contrario, quando communio morte mariti dissoluta est, usque ad ejus renunciationem conveniri possit, quasi communionem *acceptasset*, si intra statutum tempus voluntatem suam non declaravit? Hæc autem videtur esse ratio : Quando maritus mortuus est, heredes non coguntur ejus hereditatem adire, antequam uxor voluntatem suam declaraverit, (*) quoniam ipsi

---

(*) Verum quidem est, materiem *de successionibus* nondum in Codice nostro esse tractatam; sed cum dis-

etiam tempus habent ad deliberandum, et successionem repudiare possunt. Nullum igitur e mora uxoris damnum capiunt; quum vero communio divortio, vel separatione thori et mensæ est dissoluta, longè aliud obtinet; non enim tunc sunt heredes, sed maritus ipse adest et statim a creditoribus conveniri potest, quoniam semper de debitis tenetur, neque renunciare potest. Non igitur justum foret, si per longius tempus maritus in incerto versari cogeretur, quam quod necessarium est, ut uxor declarare possit, utrum communionem acceptare an repudiare velit; rectè itaque constitutum est, ut, si uxor intra temporis spatium, quod lex ei concedit, neque communionem acceptaverit neque dilationem a judice rogaverit vel impetraverit, *renunciasse* videretur; durius enim ratione uxoris fuisset, si cogeretur communionem hoc casu *acceptare.* cf. O. LE CLERCQ, *le droit romain*, *dans ses rapports avec le droit français. Tom. V*, *pag.* 73.

Regula generalis est, debitores nihil quidquam agere debere in præjudicium creditorum; atque hæc fuit causa, cur lex creditoribus uxoris tribuerit facultatem impugnandi renunciationem, si ab uxore ejusve heredibus in fraudem eorum facta fuerit. A*rt.* 48.

---

positio *art.* 47 plane e jure Gallico sit desumta (*Art.* 1463 *Cod. Nap.*), existimamus eam iisdem etiam rationibus niti; ideoque nihil obstat, quominus res illa secundum regulas, quæ jure Gallico de successionis aditione et repudiatione sunt præscriptæ, explicetur.

SECTIO VIII.

De effectibus acceptationis communionis, seu de ejus divisione.

Quando ab uxore, ejusve heredibus communio accepta est, bona dividuntur et debita feruntur secundum regulas, quas hac sectione sumus expositurì.

Primò igitur conjuges vel eorum heredes, in universitatem bonorum, quæ exstant, conferre tenentur omnia ea, quæ secundum regulas, quas suprà commemoravimus, indemnitatis causa communioni debentur. *Art.* 52. Similiter, quisque conjugum vel ejus heredes coguntur conferre pecuniæ summas vel valorem bonorum, quæ conjux ille e communione sumsit, ad dotandos vel liberos e priori matrimonio procreatos, vel etiam liberos communes, si scilicet hoc ultimo casu declaraverit, se solum hanc dotem constituere. *Art.* 53. Deinde quisque conjugum ejusve heredes ex universitate bonorum præcipiunt,

1°. Bona sua propria, quæ non in communionem venerunt, si scilicet exstant; alioquin bona, quæ pro pretio venditionis eorum acquisita sunt.

2°. Pretium rerum suarum immobilium, quæ durante communione sunt alienatæ, si hoc pretium non in alium usum fuit impensum.

3°. Id quod sibi a communione indemnitatis causa debetur. *Art.* 54.

Quod ad bona attinet, quæ ipsa non amplius exstant, conjuges eorum pretium prosequuntur,

primo in pecuniam numeratam, deinde in bona mobilia, et subsidiariè in bona immobilia communionis; quo ultimo casu electio immobilium uxori, ejusque heredibus relinquitur. *Art.* 55. Neque hoc unicum est privilegium, quod lex uxori, ejusque heredibus concedit; uxor enim ante maritum ex universitate bonorum præcipit, quod jure sibi competit. *Art.* 55. Et praeterea maritus tantum bona communionis hac de re convenire potest; uxor autem ejusque heredes, si communio non sufficit, etiam in bona mariti, ad consequendum, quod sibi debetur, jus suum persequi possunt. *Art.* 56. Ratio est, quoniam maritus, qui communionem administrat, imo vero alienare potest, propterea teneri debet de eo, quod uxori, communione dissoluta, competit. *Respons. ad observ. d. art.* Usurae ejus, quod a conjugibus communioni, vel ab hac conjugibus debetur, ipso jure currere incipiunt a die, quo communio est dissoluta. *Art.* 57.

Postquam vero quisque conjugum ex universitate bonorum praecepit, quod praecipiendum erat, illud, quod superest, duabus portionibus aequalibus inter conjuges, vel eos qui conjuges repraesentant, dividitur. *Art.* 58. Quodsi heredum alii communionem acceptant, alii vero eidem renunciant, illi, qui acceptant non plus consequi possunt, quam quod iis pro portionibus hereditariis competit in bonis, quae uxori contigissent, si superstes communionem acceptasset; quodque superest marito cedit, qui reliquis heredibus, communioni renunciantibus,

rursus pro portionibus tantum hereditariis, præstare debet, quod ipsi uxori præstare debuisset, si superstes communioni renunciasset. Art 59. Uxor enim jus plane *dividuum* ad heredes suos transmisit, et quisque heres partem suam hereditariam accepit; neque igitur *jus accrescendi* inter coheredes hoc casu locum habere potest, nisi quis *ipsi* uxoris *successioni* renunciaverit.

Ceterum communionis divisio iisdem regulis est subjecta, ac divisio successionis inter coheredes. *Art.* 60. et ultimo loco, antequam a materie de divisione communionis discedamus, observandum est, si quis conjugum res aliquas ad communionem pertinentes, subtraxerit aut celaverit, illum amittere portionem, quam in illa re consecuturus fuisset. *Art.* 61. Reverentia enim matrimonio debita non sinit, graviori poena hanc contrectationem puniri.

Nunc videamus, quid de debitis post dissolutam communionem observandum sit, et quomodo hæc inter conjuges, eorumque heredes dividantur. Si igitur alteruter conjugum post divisam communionem creditor personalis sit alterius, veluti quando pretium fundi mariti impensum sit ad solvenda debita personalia uxoris, aut contra, potest creditum illud repetere e parte communionis, quæ debitori contingit, vel ex bonis ejus propriis. *Art.* 62. Similiter propter donationes, quas alter conjux alteri fecerit, conveniri tantum potest pars, quam donator in communione nactus est, et bona ejus propria. *Art.* 63. Debita autem com-

munionis duabus aequalibus partibus inter conjuges, eorumve heredes sunt dividenda, ad eaque debita pertinent impensæ factæ in obsignationem, inventarium, venditionem bonorum communionis, ceteræque ad divisionem pertinentes. *Art.* 64. Discrimen tamen est inter maritum et uxorem; maritus enim conveniri potest ad solvenda integra debita communionis ab ipso contracta, salvo regressu adversus uxorem ejusve heredes, ad dimidiam partem eorum debitorum recuperandam; *Art* 66. uxor autem, etiamsi ipsa ratione debiti communionis sit obligata, non plus dimidia parte solvere cogitur, nisi solidaria sit obligatio. *Art.* 69. Alio etiam privilegio utitur uxor; semper enim sub beneficio inventarii communionem acceptasse censetur, id est, non plus in debitis communionis ferre tenetur, quam quod inde emolumenti accepit, modo bonum et sincerum inventarium factum fuerit, et uxor rationem reddat, cum bonorum, quæ hoc inventario continentur, tum eorum quæ sibi divisione contigerunt *Art.* 65. Ratio hujus privilegii rursus in eo posita est, quod maritus solus administrandi facultatem habet, et bona communionis alienare potest; si enim uxor ultra emolumentum teneretur, posset maritus ejus bona personalia immobilia sine ejus consensu indirectè alienare, quod *Art.* 23 hujus tituli est prohibitum.

Longè aliud dicendum est, de debitis, quae ad uxorem directè pertinent, quaeque in communionem venerunt; de his enim maritus non

tenetur ultra dimidiam partem; *Art.* 67, et uxor ad integra haec debita solvenda conveniri potest, salvo ejus regressu adversus maritum ejusve heredes, ad dimidiam partem recuperandam. *Art.* 68. Ratio est, quod jura creditorum, qui cum persona, sese ritè obligandi facultate gaudenti, bona fide contraxerunt, nullo modo minui possunt.

Diximus uxorem non ulterius conveniri posse, quam pro dimidia parte debitorum communionis; non tamen si plus solverit, neque in apocha expressè dictum sit, hanc solutionem valere pro dimidia parte, de qua uxor tenetur, portionem excedentem a creditore repetere potest; *Art.* 70; Sed omnino potest a marito ejusve heredibus. *Argum. Art.* 72, *in fine.*

Si conjux, cui res immobilis, propter debitum communionis hypothecæ obligata, divisione contigit, ad integrum hoc debitum solvendum convenitur, regressum habet adversus alterum conjugem, ejusve heredes, ad recuperandam dimidiam hujus debiti partem. *Art.* 71.

Dispositiones, quas hactenus retulimus, non impedimento sunt, quominus uni alterive conjugum, vel eorum heredibus, effectu divisionis majorem quam dimidiam partem debitorum, imo integra illa solvendi obligatio incumbat; sed universè tenendum est, quoties quis majorem, quam debuerat, portionem debitorum communionis solvit, toties illum regressum habere, adversus alterum, qui partem excedentem

ferre debuerat. *Art.* 72. Omnia autem, quæ de marito et uxore hac in *sectione* dicta sunt, etiam ad eorum heredes pertinent, qui eadem jura exercent, iisdemque actionibus sunt subjecti, ac conjux, quem repraesentant. *Art.* 73. Ceterum omnes hae dispositiones tam sunt clarae, earumque aequitas tam manifestè apparet, ut ulteriori explicatione non indigere videantur.

SECTIO IX.

De effectibus renunciationis.

Uxor, quae communioni renunciavit, omne jus in ejus bonis, etiam in mobilibus quæ attulit, amittit. *Art.* 74. Recipit tantum lintea et vestimenta, quae usui suo inserviunt, *d. art.* et praeterea jus habet recuperandi:

1°. Immobilia sua propria, si exstant, aut immobilia, quae in eorum locum sunt emta. *Art.* 75, *n*° 1.

2°. Pretium rerum immobilium alienatarum, si aliae non acquisitae sunt in earum locum, vel si acquisitae quidem sunt, sed ab uxore non acceptatae. *d. art. n*° 2, *conf. art.* 30 *hujus tit. VI.*

3°. Omnia ea, quae ipsi indemnitatis causa a communione debentur. *d. art.* 75, *n*° 3.

Vicissim uxor, quae renunciavit, tam ratione mariti, quam creditorum, plane liberatur obligatione, debitis communionis contribuendi; *Art.* 76. nisi tamen se conjunctim cum marito

obligaverit, vel debitum, quod origine eam solam spectabat, deinde in communionem venerit; His enim in causis injustum foret, si creditores, qui cum uxore contraxerant, cum validè se obligare posset, ex ejus renunciatione damnum caperent. Haec igitur fuit causa, cur constitutum sit, ut uxor quae renunciavit, nihilominus propter ejusmodi debita conveniri possit, salvo ejus regressu adversus maritum, ejusve heredes. *d. art.* 76. Potest autem uxor ad omnes actiones suas exercendas, et ad consequendum quod secundum dispositiones *articuli* 75 ipsi competit, convenire tam bona communionis, quam ea, quae marito propria sunt. *Art.* 77. Quo jure etiam heredes ejus gaudent, (*) sed hi non possunt praecipere lintea et vestimenta. *d. art.* 77. (†).

(*) In articulo 77 errore quodam lapsi videntur auctores Codicis Belgici; ex hoc enim articulo intelligere possis, jus lintea et vestimenta recipiendi tantum uxori *superstiti*, sive *viduæ* renuncianti competere; hoc autem cum æquitati repugnat, tum articulo 74, in fine, ubi universè omnibus uxoribus, quæ communioni renunciant, hæc facultas tribui videtur.

(†) *Universali* etiam communioni uxor renunciare potest; tunc autem nihil repetere potest, nisi lintea et vestimenta, quæ usui suo inserviunt, ac vicissim liberatur obligatione contribuendi debitis communionis, nisi ea, aut tamquam publicè mercaturam agens, aut ante matrimonium contraxerit, quo utroque casu regressum habet adversus maritum, ejusve heredes, ut indemnis præstetur de omni eo, quod solvit. *Vid. Art.* 19, *tit. VIII.*

Atque haec quidem sunt, quae de communione bonorum, et universè de effectibus matrimonii ratione bonorum dicenda erant. Observari autem debet, totam illam materiem, quatuor maximè principiis niti, scilicet:

1°. Maritum plena cum libertate administrare,

2°. Uxorem res suas proprias incolumes servare,

3°. Participem eam esse emolumenti, si quod datur,

4°. Denique damni eam, quantum fieri potest, esse expertem.

Restat, ut breviter dispositiones quasdam indicemus, quae in Codice Gallico inveniuntur, in nostro autem jure omissae sunt, et simul rationes addamus, cur legislatores Belgici eas non adoptaverint. Sic omissa est dispositio, qua res immobilis, acquisita quidem ante matrimonium celebratum, sed post factas tamen conventiones nuptiales, fit communis, *Art.* 1404. *Cod. Nap.* Putaverunt scilicet Codicis nostri auctores, hanc regulae generalis exceptionem esse subtilitati juris magis, quam aequitati et rationi convenientem; supponit enim hæc dispositio utrique futuro conjugi plane notum fuisse statum rerum

---

Hujus autem rei nunc demum mentionem facimus, quoniam, cum de communione *universali* ageremus, nondum exposueramus, quid esset *acceptatio*, quid *renunciatio* communionis, ideoque illo loco hæc res difficilior intellectu fuisset.

mobilium alterius, atque hanc notitiam causam fuisse, cur partes contrahentes nuptias inire decreverint; quæ ambæ hypotheses difficilius admitti possunt, quam ut indefinitæ exceptioni locum darent; præterea, si hæc dispositio admitteretur, quoties de communione convenerint partes, etiam obtinere debet, quando pacta nuptialia desunt; utroque enim casu futuri conjuges sive tacitè, sive expressè communioni sese subjecerunt, et quando causæ sunt æquales, effectus a se invicem discrepare nequeunt; unde sequitur, hanc exceptionem aut omitti debuisse, aut omni casu admitti, saltem a die prioris promulgationis futuri matrimonii, quippe quo contrahentium consensus præsumi potest. Porro prætermissa est dispositio, qua e communione excluditur res immobilis, ab adscendente quodam alterutri conjugi cessa ea conditione, ut solvantur debita cedentis. *Art.* 1406. *Cod. Nap.* Ejusmodi enim *cessionem* legislatores Belgici tanquam speciem quandam *venditionis* consideraverunt, ideoque rem illam immobilem, quippe titulo oneroso acquisitam, communem fieri voluerunt. Omissa etiam sunt omnia, quæ spectant effectus *mortis civilis*, ut et omnia, quæ pertinent ad *usuras legales*, quæ tertiis debentur, quoniam *mors civilis* abolita est; Vid. *art.* 4, *tit. I*, et de *usuris* atque *eo quod interest*, peculiare caput conficietur. Denique silentio etiam præterierunt legislatores nostri dispositionem, qua heredes mariti luctum viduæ solvere tenentur; *Art.* 1481. *Cod. Nap.* quia secundum mores nos-

tros mariti etiam propter uxoris mortem lugubria induunt vestimenta, ideoque nulla ratio adesse visa est, cur uni concedatur, quod alteri negatur. *Conferatur omnino oratio, quam in concione Ordinum generalium die* 28 *maji* 1822, *pronunciavit vir consult.* Nicolaï.

CAPUT SEXTUM.

De dissolutione matrimonii.

Dissolvitur matrimonium

1°. Morte.

2°. Divortio. *Art.* 1, *tit. X.*

SECTIO I.

De morte.

Naturali tantum alterutrius conjugis morte tollitur matrimonium; mors enim *civilis*, uti suprà vidimus, abolita est. *Art.* 4, *tit. I.* Origo mortis civilis apud Romanos fuit maxima capitis diminutio; morti enim jure Romano servitus comparabatur. *Vid. l.* 32, *ff. de donat. inter vir. et uxorem.* Ac profecto si statum consideramus, in quo illis temporibus servi versabantur, dicendum est, mortem civilem tunc morum asperitati maximè convenisse; cum autem nunc servitus non amplius in usu sit, neque ejus effectus servari oportent. Rogari potest, cur tamen jure Gallico mors civilis obtineat? Respondemus, antiquitus, cum Gallia partim legibus scriptis, partim jure consuetudinario regebatur, eos qui

poenæ cuidam graviori erant condemnati, quemadmodum apud Romanos, tanquam *servos poenæ* fuisse consideratos, ideoque secundum præcepta juris Romani, quod in nonnullis regionibus observabatur, mortuis fuisse aequiparatos; cum autem dein Codex, quo etiamnum utimur, conficeretur, manifestè e deliberationibus *concilii*, qui vocatur *Conseil d'Etat*, apparet, legislatores ideo maximè conservasse mortem civilem, ut illi, qui temporibus turbarum atque rerum conversionis e Gallia migraverant, bonis suis, quæ ibi reliquerant, privarentur. Nunc igitur, cum novæ leges in patria nostra conficiantur, rectè egerunt legislatores Belgici, tam immanem et turpem institutionem e Codice rejicientes. Quid enim bonis moribus magis repugnat, quam ut viventis bona, quasi mortuus esset, ad heredes ejus transmittantur? Quid inhumanius excogitari potest, quam ut is, qui crimen commisit, propterea ipso jure conjux esse desinat; quam ut uxor, quæ calamitatum mariti consors esse cupit, legibus inde abstineatur? Quid a sana ratione remotius, quam ut liberi procreati e conjunctione viri et uxoris, qui sese diligere non cessarunt, inter quos numquam divortium locum habuit, illegitimi sint, quoniam alter parentum, dum vivit, pro mortuo habetur? Idque fictione juris, quæ locum habere nequit, quia naturæ repugnat; nemo enim simul vivere et mortuus esse potest; nonne igitur sufficit, altero conjuge ad poenam, quæ infamiam irrogat condemnato, alteri facultatem tribui divortium petendi?

Caeterum confusa sunt admodum, quæ de morte civili in Codice Gallico reperiuntur, multæque quæstiones indecisæ manent; an, verbi gratia, civiliter mortui consensus requiratur ad nuptias liberorum ? an civiliter mortuus liberos naturales agnoscere possit ? num amittat patriam potestatem? sub judice lis est. Repetimus igitur, posse tanquam veram juris emendationem considerari, mortem civilem, quippe a natura atque a cultioribus hujus saeculi moribus planè abhorrentem, e legibus nostris esse exclusam.

SECTIO II.

De divortio.

Alter modus quo matrimonium dissolvitur, est divortium, quod utrum admittendum fuerit nec ne, multum in Ordinibus generalibus est disputatum. Rationes, quae ab utraque parte afferri solent, nimis pertractatae sunt, quam ut hoc loco longius de iis disseramus. Sufficiat igitur refellere opinionem eorum, qui putant, divortium, quippe contrarium praeceptis familiae cujusdam Religiosae, repugnare legi publicae patriæ nostræ, quæ omnes cultus divini species, aequaliter prorsus agnoscit atque tuetur. Vera quidem esset hæc opinio, si lex matrimonium dissolvi juberet, sed cum unicuique libertas relinquatur divortium petendi, aut non petendi, hoc argumentum admitti nequit, et verius e contrario contra legem publicam peccaretur, si quid in favorem alicujus religionis prohiberetur,

quod plerisque ceteris permissum est. Solius igitur utilitatis publicae, non vero hujus illiusve cultûs divini præceptorum in codice civili conficiendo, ratio est habenda. Universè autem dicendum est, divortium magnum esse malum, sed illud nihilominus esse admittendum, quoniam majus malum esset, si non admitteretur.

Articulo 3° tituli X, prohibetur divortium fieri per mutuum consensnm. Contra hanc dispositionem multa afferri possunt, et allata sunt argumenta ; et omnino multis placuisset augeri, imo duplicari difficultates, quibus jure Gallico circumscripta est facultas, matrimonium mutuo conjugum consensu dissolvendi, dummodo vinculum illud, cujus solo nomine cogitatio amoris et concordiæ apud omnes oritur, non semper consistere pergat inter eos, qui summo odio, maximaque malevolentia se invicem prosequuntur, et quibus vita communis plane intolerabilis est; contendebant porro iidem illi, separationem thori et mensae tali casu non sufficere, quoniam scopo matrimonii plane repugnare existimabant, duas personas vinculo civili conjunctas manere, neque tamen secum invicem vivere; praeterea conjuges ita separatim viventes, neque ad alia vota convolandi facultatem habentes, ad libidinem atque adulterium allici, alterumque conjugem improbitate alterius novum matrimonium inire cupientis, magnis saepe periculis exponi posse disputabant; atque tandem censebant, divortium, quod fit per mutuum conjugum consensum, sæpe utile et necessarium esse in casu adulterii,

cum alter conjux alterum probrosa actione publico dedecori exponere nolit, neque tamen conjunctus manere cupiat cum persona, a qua tam perfidè est deceptus, quamque itaque non amplius diligere potest.—Sed praevaluit tamen sententia existimantium, ejusmodi divortium naturæ matrimonii esse contrarium, neque tam facile conjuges rixis et discordiis indulturos esse, cum sciant vinculum, quo conjuncti sunt, non mutuo consensu posse dissolvi; et praeterea sufficere separationem thori ét mensae, quae uti liberis ex illo matrimonio natis, minus nocet, ita etiam spem servat reconciliationis. Solae igitur causae, ob quas divortium peti potest, sunt :

1°. Adulterium,

2°. Desertio malitiosa,

3°. Condemnatio, qua alteruter conjugum post matrimonium contractum, pœna infamiam irrogante, afficitur,

4°. Tales saevitiae alterutrius conjugis, quibus alterius vita in periculo versatur, vel quae ipsi gravium causa fuerunt vulnerationum. vid. *Art.* 4. *Tit.* X.

Rectè igitur praeter mutuum consensum e jure Gallico inter causas divortii omissae sunt saevitiae leviores, et injuriae; quae causae nimis vagae atque arbitrariae visae sunt; et jam levis violentia, vel leve convitium, aut etiam vana horum simulatio non amplius possunt inservire praetextui, ad vinculum matrimonii dissolvendum.

P.

Actio divortii intendi non potest nisi apud tribunal domicilii mariti; *Art.* 2. salvo casu desertionis malitiosæ, quando instituenda est coram judice ultimi conjugum domicilii communis. *Art.* 6.

Quando igitur alteruter conjugum ad pœnam qualemcunque condemnatus est sententia, unde constat, eum adulterium commisisse, vel quando ad pœnam infamiam irrogantem condemnatus est, sufficit, ut divortium admittatur, exemplum sententiae exhiberi, addita probatione, eam sententiam nullo amplius legali remedio posse infirmari. *Art.* 5. Sic itaque rectè sublata est dispositio juris Gallici, qua uxor eo tantum casu propter adulterium mariti divortium petere potest, quando hic concubinam habet in domo communi. Verum quidem est, quantum attinet ad effectus civiles, atque utilitatem publicam, uxoris adulterium gravius esse quam mariti, ideoque pœnali lege gravius esse coërcendum; sed quoad mores adulterium utriusque æque turpe est, neque minori injuria afficitur uxor, adulterio mariti, quam hic uxoris. Quoniam igitur divortium non pœna est hujus criminis, sed remedium, quo læsus conjux liberatur obligatione diutius conjunctus manendi cum eo, qui tam turpiter fidem datam violavit, nulla ratio est, cur, quod ad divortium attinet, discrimen inter virum et uxorem observetur; et certè non admittenda videtur distinctio juris Gallici; fieri enim potest, ut uxor ignara sit adulterii, quod maritus committit in domo communi,

atque e contrario ei notissimum sit, maritum extra domum concubinam habere, quo casu nullum remedium illam injuriam vindicandi, ipsi relictum esset.

Nunc videamus de actione divortii propter desertionem malitiosam. Institui hæc debet, quemadmodum jam suprà vidimus, coram judice domicilii communis, quod ultimum tempore desertionis conjuges habuerant, et petitio non potest admitti, nisi conjux, qui domicilium commune sine legitima causa reliquit, ad alterum revertere pertinaciter recusavit. *Art* 6. Hæc autem perseverantia requiritur, ut ejusmodi divortia majoribus difficultatibus sint subjecta, utque constet, desertionem revera esse *malitiosam. vid. Respons. ad observ. d. art.* 6. Deinde actio non potest intendi ante impletos quinque annos, postquam conjux domicilium commune deseruit, et si propter causam legitimam discessit, quinque illi anni currere demum incipiunt a tempore, quo hæc causa cessavit. *d. art.* 6. Judex autem divortium propter desertionem malitiosam non potest concedere, nisi actio instituta et continuata sit contra conjugem, qui domicilium reliquit, aut hoc sese non sistente, contra curatorem ad hoc datum. *Art.* 7. Sectioni cuidam Ordinum generalium supervacuum visum est, contra curatorem agi, quando conjux ritè citatus est; sed hæc dispositio necessaria est ad prævertendam collusionem partium; curator enim absentem defendendo efficere potest, ut actor causâ cadat. *vid. Respons. ad observ. Art.* 7.

De formis, quæ in actionibus divortii observari debent, aget Codex *de Methodo procedendi in causis civilibus*; *Art.* 8. Cum vero quædam dispositiones sint, quæ non ad formam tantum, sed ad jus positivum etiam pertinent, jam hoc loco earum mentio facta est. Sic uxor, sive *actoris* partes agat, sive *rea* sit, dum lis agitur, domicilium commune judicis auctoritate relinquere potest; tribunal autem domum indicare debet, quæ uxori est inhabitanda. *Art.* 9.

Porro uxor alimentorum causa pecuniæ summam petere potest, quam judex definit, quæque a marito, dum lis agitur, ei solvenda est. *Art.* 10. Hoc vero beneficium uxor secundum circumstantias amittere potest, si sine judicis auctoritate, domum, quæ ipsi commorandi gratia indicata est, relinquit, quo casu, si *agit* in judicio, poterit prohiberi quominus actionem suam ulterius prosequatur. *d. art.* 10. Ratio videtur, quod uxor, domum, quæ ipsi indicata est, sine justa causa relinquendo, saepenumero demonstrat, se moribus esse dissolutis, atque idcirco, quippe sævitiis vel adulterio mariti minus læsa, quam si honestè se gereret, ita rectè facultate privari potest, actionem diutius contra maritum prosequendi.

Denique tribunal domum indicans, in qua uxor commorari debeat, simul, si petitum fuerit, designare potest, cuinam conjugum, dum lis agitur, liberi sint committendi. *Art.* 11.

Actio divortii non suspendit jura mariti, quantum ad administrationem bonorum attinet; po-

test tamen uxor remediis uti, quibus prævertatur subtractio bonorum, quæ ipsi competere possint; nullique sunt omnes actus mariti, quibus jura uxoris ex industria minuuntur. *Art.* 12. Quænam autem remedia uxoris futura sint, in Codice *de methodo procedendi in causis civilibus*, statuetur. *Vid. Respons. ad observ. d. art.* 12.

Exstinguitur actio divortii:

1°. Reconciliatione conjugum, sive hæc evenerit, postquam alter conjux facta cognovit, quæ ipsi facultatem actionem divortii adversus alterum petendi, tribuere potuissent, sive postquam hæc actio jam est inchoata. *Art.* 13. Præsumit autem lex reconciliationem adfuisse, quando maritus et uxor secum habitaverint, postquam hæc domicilium commune reliquerat. *d. art.* 13. Rogatum est a sectione quadam Ordinum generalium, cur tantum *cohabitationis*, tanquam signi reconciliationis mentio fiat, neque de ceteris modis agatur, quibus hac de re constare potest? Responsum est, quia cohabitatio signum indubitabile videtur, quo quasi excluditur probatio contraria, et factum, quod semper probari potest, cum ceteri contrà modi probandi magis sint ambigui, atque difficiles. *Vid. Respons. ad. observ. d. art.* 13. Conjux autem, qui propter causas post reconciliationem ortas, novam instituit divortii actionem, ad petitionem suam urgendam, pristinis etiam causis uti potest. *Art.* 14.

2°. Morte alterutrius conjugis ante divortium pronunciatum. *Art.* 17. Neque propterea, quod

ipso jure morte dissolutum est matrimonium, supervacua est hæc dispositio. Divortium enim, quemadmodum mox videbimus, ratione conjugis nocentis damnosos producit effectus; *Vid. art.* 20 *et* 21, nisi igitur hæc dispositio adesset, actor contendere posset, se inchoata actione, jus habere litem prosequendi. *Vid. Respons. ad. observ. d. art.* 17.

3°. Exstinguitur actio divortii, si in utroque casu articuli 5, non instituta est intra sex menses computandos a die, quo sententia, qua alteruter conjux condemnatur, plenam vim nacta est, ita ut non amplius legali modo impugnari possit. *Art.* 16. Si tamen tempore condemnationis alterius conjugis, alter extra regnum versatus fuerit, sex illi menses currere demum incipiunt a tempore, quo reversus est. *d. art.* 16.

4°. Actio divortii propter desertionem malitiosam exstinguitur, si conjux, qui domicilium commune reliquit, ante divortium pronunciatum reversus fuerit; attamen, si post reditum suum denuo sine legitima causa domicilium commune reliquerit, præterlapsis sex mensibus postquam abiit, alter conjux novam actionem divortii instituere potest, pristinisque causis uti, ad petitionem urgendam; quo casu reditus conjugis relinquentis non amplius actionem divortii exstinguere potest. Art. 15. Alioquin enim hic facultate gauderet actionem semper reditu tollendi, et deinde statim conjugem suum denuo relinquendi. *conf. Respons ad Observat. d. art.* 15.

His igitur casibus vidimus actionem divortii tolli; sed et accidere potest, ut ipsa sententia, qua divortium concessum est, effectu careat; nisi enim intra duos menses postquam ejusmodi sententia plenam vim nacta est, ita ut non amplius legali modo impugnari possit, conjux, qui divortium impetravit, sive se ipse contulerit, sive procuratorem speciali mandato instructum delegaverit coram magistratu statûs civilis, altera parte ritè citata, ut divortium audiat pronunciari, privabitur hic conjux beneficio, quod sententia impetrata nactus erat. *Art.* 18 *et* 19.

Effectus divortii duplicis generis sunt; alii enim ipsos conjuges spectant, alii liberos eorum.

Prioris generis sunt:

1°. Quod matrimonium inter conjuges plane dissolutum est, ita ut non amplius secum invicem novis nuptiis conjungi possint. *Art.* 9. *Tit. IV.*

2°. Quod communio, quæ inter conjuges locum habuit, dissoluta est et dividi debet, quemadmodum suprà vidimus. *Art.* 30. *Tit.* X.

3°. Quod conjux, contra quem divortium est pronunciatum, amittit omnia commoda atque emolumenta, quæ alter conjux ante actionem divortii in ipsum constituerat. *Art.* 21. Conjux vero, qui divortium impetravit, conservat omnia commoda sibi ab altero conjuge constituta, licet convenerint conjuges, haec commoda fore reciproca, reque reciproca fuerint. *Art.* 20.

4°. Quod si conjux, qui divortium impetravit, non habeat reditus sufficientes ad vitam sustentandam, tribunal ipsi ex bonis alterius præstationem alimentorum concedere potest. *Art.* 23. Haec alimenta definienda sunt secundum statum ac fortunam illius, qui ea solvere debet; comminui possunt, quando hujus fortuna insignem diminutionem passa est; *Art.* 24. cessat denique haec alimentorum præstatio, quando ille, cui debetur, non amplius eâ indiget; *d. art.* 24. vel quando mortua est alterutra partium. *Art.* 25. Non autem divortium facultatem tribuit statim jura exercendi, vel lucra postulandi, de quibus conjuges convenerunt in casu, quo alter alteri supervixerit; sed illa partium, quæ divortium impetravit, haec jura demum post mortem alterius exercere potest. *Art.* 22.

Posterioris generis effectus divortii, qui scilicet liberos spectant, hi sunt:

1°. Liberi committuntur universè curæ conjugis, qui divortium impetravit; attamen tribunal, requirente Procuratore Regis, sive hic agat vi muneris sui, sive uno pluribusve cognatis, usque ad quartum gradum inclusum, petentibus, ad peculiare emolumentum liberorum jubere potest, ut omnes vel quidam eorum committantur curæ sive conjugis, contra quem divortium est pronunciatum, sive tertiæ personæ. *Art.* 27. Similiter tribunal, si mortuus est ille, cujus curæ liberi erant commissi, aliam personam designare potest. *d. art.* 27.

2°. Dissolutio matrimonii per divortium libe-

ros ex illo matrimonio procreatos nullo privat commodo, quod ipsis secundum leges vel pacta nuptialia parentum competit. *Art.* 29. Juribus autem suis liberi non uti possunt, nisi eodem modo, et iisdem temporibus, quibus uti illis potuissent, si divortium locum non habuisset. *d. art.* 29.

3°. Pater et mater conservant jura, quæ ex patria potestate atque a tutela profluunt; *Art.* 28. ut et facultatem prospiciendi liberorum alimentis atque educationi, quibus pro facultatibus suis contribuere coguntur. *d. Art.* 28.

Hi igitur sunt effectus, quos divortium cum ratione ipsorum conjugum, tum liberorum producit. De tertiis personis tantum dicendum est, reditus annuos, quos contractu nuptiali promiserunt, post divortium debitos manere conjugi, in cujus favorem constituti erant. *Art.* 26. Quibusdam e collegio Ordinum generalium magis placuisset, si hic articulus in sensu contrario redactus fuisset; responsum vero est, hanc dispositionem, sicut se habet, principiis juris convenire videri, quoniam tertii nullum emolumentum capere debent e divortio, quippe quod solos conjuges spectat. *vid Respons. ad. Observ. d. art.* 26.

CAPUT SEPTIMUM.

De separatione thori et mensæ.

Cum de dissolutione communionis bonorum ageremus, mentionem fecimus separationis thori

et mensæ, ac diximus, nos illo loco non rectè hac de re agere potuisse, cum quia hæc materies multa contineret, quæ facilius intelligerentur, postquam de divortio actum foret, tum quoniam separatione thori et mensæ non tantum communio dissolvatur, sed et ipsius matrimonii vis quasi suspendatur, ideoque statuimus hujus separationis dispositiones peculiari capite post materiem *de divortio* exponere; quod age nunc faciamus.

Potest igitur peti separatio thori et mensæ:

I°. Iisdem casibus, quibus etiam peti potest divortium; *art.* 1. *tit.* XI, et si semel haec separatio petita est, non amplius propter eandem causam actio divortii institui potest. *Art.* 3. Illos autem casus vidimus esse:

1°. Adulterium;

2°. Desertionem malitiosam;

3°. Condemnationem alterutrius conjugis ad pœnam quæ infamiam irrogat;

4°. Sævitiæ quibus vita alterutrius conjugis in periculo versatur, vel quæ ipsi gravium vulnerationum causa fuerunt.

Quæri potest, quidnam in casu *desertionis malitiosæ* conjugis relicti intersit, separationem thori et mensæ pronunciari? Quod ad uxorem, respondemus, ei valde prodesse, ut cessent mariti jura in bona communionis, ut divisio horum bonorum fiat, utque ipsa bona sua administret, eorumque fructus, quemadmodum etiam

fructus laboris sui atque industriæ sola percipiat. Præterea liberatur obligatione apud se recipiendi maritum, qui communem habitationem deseruit; quique diuturna absentia ipsi quasi extraneus est factus; —Quod autem ad maritum attinet, responsum habemus in dispositione, qua contra regulam *pater est, quem nuptiæ demonstrant*, partus, qui trecentos dies post pronunciatam separationem thori et mensæ editus fuerit, si rogatur, pro non legitimo potest haberi.—*Titulus*, quo hæc dispositio continetur, nondum quidem ab Ordinibus generalibus est comprobatus, verumtamen eorum deliberationi jam est subjectus. *conferatur oratio viri consult.* NICOLAI *habita die* 6. *Julii* 1822.

II°. Peti potest separatio thori et mensæ, propter excessus, sævitias et graves injurias, quibus alter conjux alterum affecerit. *d. art.* 1. *in fine*; Actio autem tam propter has causas, quam propter eas, de quibus sub *n°.* 1. locuti sumus eodem modo instituitur, eademque ratione de ea judicari debet, ac circa actionem divortii fieri vidimus. A*rt.* 2.

III°. Separatio thori et mensæ mutuo utriusque conjugis consensu, sine causa definita a judice peti potest. A*rt.* 4. Duæ maximè rationes fuerunt, cur ejusmodi thori et mensæ separatio sit admissa; —altera, ut conjugibus, quos communis vita reddit infelices, remedium tribuatur, quo cum vinculum matrimonii incolume maneat, tum spes servetur reconciliationis; altera, ut conjux innocens et infelix, qui propter causam

definitam separationem thori et mensæ petere potest, neque tamen conjugem suum, quem aliquando dilexit, et cum quo liberos habet, turpi actioni vult exponere, ab eo mutuo utriusque consensu legitimè possit separari, neque ex ipsa sua misericordia atque morum facilitate, miserè vitam degere cogatur. *conf. d. oratio viri consult.* NICOLAI *die* 6 *julii* 1822 *habita.* Sed nonne facile ejusmodi separatio in fraudem creditorum fieri potest? Hi enim non se opponere possunt, quoniam actio *principaliter* ipsos conjuges, ideoque *statum personarum* spectat, et *separatio bonorum* hoc casu tantum quippe *accessorium* quid considerari potest. *Vid. art.* 11 Optandum igitur est, dispositionem *articuli* 66 *Codicis commercii Gallici*, qua creditores admittuntur ad interveniendum, *quantum ipsorum interest*, separationi thori et mensæ conjugum, quorum alter mercaturam facit, dispositionem hanc, dico, in jus Belgicum transscriptam, non tantum ad mercatorum, sed ad ceterorum quoque conjugum separationes thori et mensæ, relatum iri.

Legislatores nostri separationem thori et mensæ per mutuum consensum admittentes, omnes simul dispositiones atque formas statuerunt, quibus prævertantur lites et effectus levis alicujus conjugum inconstantiæ, sic:

1°. Requiritur, ut matrimonium jam per duos saltem annos inter conjuges constiterit, antequam hanc separationem petere possint; *Art.* 4 debent enim per satis longum tempus conjuncti

manere, ut utrique alterius indoles prorsus nota esse possit.

2°. Priusquam conjuges judicem adeant, debent secum invicem instrumento authentico convenire de omnibus conditionibus separationis, tam quod ad ipsos attinet, quam respectu liberorum. *Art.* 5.

Possunt autem judicis comprobationi submittere ordinationes, quas decreverint locum esse habituras, intervallo durante inter petitionem et sententiam. *d. art.* 5.

3°. Petitio fieri debet libello supplice, tribunali domicilii communis exhibito, cui jungendum est exemplum cum instrumenti, quod de conjugum matrimonio confectum est, tum conventionis, de qua *art.* 5. dictum est. *Art.* 6.

4°. Tribunal conjuges jubet, ut ambo simul ante unum pluresve judices se sistant, qui ipsis gravitatem propositi eorum, et graviores etiam consequentias ante oculos ponant. Quodsi tamen in petitione persistunt, jubebit judex, ut post intervallum sex mensium iterum se sistant. *Art.* 7. Et sex demum menses postquam altera vice conjuges comparuerunt, tribunal, audito Procuratore Regis, et auditis etiam, aut ritè saltem citatis proximis utriusque conjugis adscendentibus, de petitione pronunciat. *Art.* 8. Sic igitur e perseverantia partium constare potest, eorum petitionem non esse effectum levium discordiarum, sed gravis erga se invicem odii et fastidii.

Quodsi rejecta est petitio, conjuges libello supplice judicem superiorem rogare possunt, ut sententia reformetur. *Art.* 9. Cum autem difficile lex definire possit, quibusnam casibus petitio rejici debeat, hoc judicis arbitrio est relinquendum. *vid. Respons. ad observat. d. art.* 9. Observavit sectio quædam Ordinum generalium articulos 5, 6, 7, 8 et 9. ad methodum procedendi pertinere; Responsum vero est, hoc non ita videri, quoniam illi articuli plures dispositiones juris positivi continent, quippe statuentes *conditiones*, quæ requiruntur, ut separatio thori et mensæ per mutuum consensum locum habere possit. *vid. Respons. ad observ. dd. aa.*

Jam videamus de effectibus separationis thori et mensæ.

1°. Hæc separatio non dissolvit matrimonium, sed conjuges liberat obligatione secum invicem habitandi. *Art.* 10.

2°. Separationem thori et mensæ semper sequitur separatio bonorum, et communio dissolvitur æque ac si matrimonium plane dissolutum esset. *Art.* 11. Neque tamen hæc separatio ratione tertiorum ullum producit effectum, antequam sententia, qua pronunciata est, publicata sit. *Art.* 13.

3°. Separatione thori et mensæ suspenditur mariti potestas, quantum attinet ad administrationem bonorum uxoris. *Art.* 12. Hanc igitur administrationem ipsa uxor recipit, quæ non obstantibus dispositionibus *articuli* 6, *tit. V.*

auctoritatem generalem, de rebus mobilibus disponendi, a judice potest impetrare. *d. art.* 12.

4°. Quando judex, examinata conventione, de qua *art.* 5 *initio*, dictum est, separationem thori et mensæ, ab utroque conjuge mutuo consensu petitam, pronunciaverit, hæc separatio omnes habet effectus, ea conventione definitos. *Art.* 15.

Cessat separatio thori et mensæ ipso jure reconciliatione conjugum, quo casu matrimonium omnes effectus suos recipit, valentibus tamen ratione tertiorum, actibus, qui durante intervallo a separatione usque ad reconciliationem locum habuerunt; omnis autem conventio contraria est nulla. *Art.* 16.

Si sententia, qua separatio thori et mensæ pronunciata est, palam est facta, eodem modo publicari debet, separationem cessasse; et quamdiu hoc factum non est, conjuges effectus reconciliationis tertiis objicere nequeunt. *Art.* 17.

Hæ sunt igitur dispositiones, quæ separationi thori et mensæ propriæ sunt. Sunt praeterea multæ aliæ, quas illa separatio, propter causam definitam petita, cum divortio communes habet *Vid. art.* 14, ubi omnes articuli *tituli X*, qui etiam ad hunc *titulum XI* pertinent, enumerantur. Sic in actione separationis thori et mensae propter adulterium, desertionem malitiosam, et condemnationem quae infamiam irrogat, eadem prorsus observanda sunt, quae locum habere vidimus circa actionem divortii propter easdem

causas. *Art.* 14, *tit. XI*, *collatis art.* 5, 6 *et* 7, *tit.* X. Sic etiam, quod attinet ad uxorem, quae dum lis agitur, domicilium commune auctoritate judicis relinquere et alimenta petere potest, eaedem dispositiones in actione separationis thori et mensae ac in actione divortii locum habent. *Art.* 9 *et* 10, *tit. X.* Sic porro, quando rogatum est, tribunal etiam designare potest conjugem, cui liberi committendi sint, dum lis de separatione agitur. *Art.* 11, *d. tit. X.* Eadem quoque sunt jura mariti quoad administrationem bonorum durante actione separationis ac divortii, et uxor iisdem remediis uti potest, ad praecavendum, ne bona sua distrahantur. *Art.* 12. *d. tit. X.* Iisdem modis etiam utraque actio exstinguitur. *Art.* 13, 14, 15, 16 *et* 17, *tit. X.* Denique praeter effectus separationis thori et mensae, quos suprà enumeravimus, haec separatio etiam omnes habet divortii effectus, qui cum ratione ipsorum conjugum, tum respectu liberorum *articulo* 20 *et seqq*, *usque ad art.* 29, *tit.* X, continentur. *Conf. quæ diximus in fine sectionis II*, *cap. præced.*

CAPUT OCTAVUM.

De secundis nuptiis.

Restat ut breviter quaedam adjiciamus *de Secundis Nuptiis.*

Omnibus fere temporibus secundae nuptiae tanquam parum favorabiles considerari solebant. Liberi jam propterea satis infelices, quod patre

vel matre orbati erant, semper legislatoris attentionem ad se traxerunt, legesque tam antiquae, quam recentiores alterius conjugis erga alterum liberalitates circumscripserunt, quando exstabant liberi e priori matrimonio procreati. Scopus harum prohibitionum est, ut praevertantur effectus ardoris immoderati, atque homini nimis proprii erga novum conjugem. Inprimis autem hac de re lata fuit *l.* 6. *Cod. de Sec. Nupt.* Similisque etiam dispositio in legibus nostris locum obtinere debuit; non enim illud auctores Codicis nostri rejicere potuerunt, cujus utilitatem experientia multorum seculorum ubique demonstravit. Itaque constitutum est, ne vir vel femina, qui, liberis vel nepotibus e priori matrimonio exstantibus, ad secundas vel ulteriores nuptias migraverit, conventionibus nuptialibus, plus novo conjugi donare possit, quam uni e liberis legitimis, cui minima portio obvenit, utque nullo casu ejusmodi donatio quartam partem bonorum possit excedere. *Art.* 1, *tit. IX.* Si igitur nulli liberi supersunt, donatio omnes effectus suos habebit, quia cessavit unica causa, quae diminutioni eam obnoxiam reddebat.

Si autem conjux deinceps ad tertia aut quarta vota transeat, non potest de duabus vel de tribus portionibus sed de una tantum disponere; cum enim lex liberos praecedentis matrimonii contra liberalitates parentis nova vincula contrahentis tueatur, in casu contrario vanum atque imaginarium foret hoc præsidium ratione eorum, qui soli eo indigent. *conf. oratio quam in*

R.

concione Ordinum generalium die 9. *julii* 1822 *pronunciavit vir consult.* NICOLAI.

Sed non tantum directè, verum etiam indirectè conjux plus novo conjugi donare prohibetur, quam de quo secundum suprà memoratam dispositionem, in ejus favorem disponere potest. *Art.* 2. Nulla itaque est omnis donatio facta quasi titulo contractus *onerosi*, aut per interpositas personas. *d. art.* 2. *cf. l.* 6. *in fine C. de sec. Nupt.*

Censetur autem donatio esse facta per interpositas personas, quando collata est ab uno conjuge, in liberos, aut in unum ex liberis alterius conjugis, e priori matrimonio susceptis, nec non quando facta est a conjuge donatore cognatis, quorum heres futurus alter conjux tempore donationis præsumitur, licet hic cognato suo donatario non supervixerit. *Art.* 3. *tit. IX*,

Non perfecta foret dispositio articuli 1 hujus tituli si ad *expressas* tantum, non vero etiam ad *tacitas* conventiones extenderetur. Ultimo igitur loco constitutum est, ut si in casu communionis sive legalis, sive conventionalis, commixtio bonorum atque debitorum in favorem unius conjugum, majus commodum produceret, quam quo secundum *art.* 1. *h. tit.* frui potest, liberi e priori matrimonio alterius conjugis suscepti, tempore delatæ hereditatis parentis, actionem habeant ad deducendum, quod ejus conjux plus justo accepit; utque illud, quod revocatum fuerit ad successionem pertineat. *Art.* 4. *tit IX.*

In *l.* 9 *Cod. de Secund. Nupt.* idem constitutum est; scilicet ut illud, quod de ejusmodi donatione revocatum esset, inter omnes liberos tam prioris, quam subsequentis matrimonii divideretur; sed haec lex abrogata est in *Novella XXII*, *c.* 27. ubi, quod deductum est, tantum liberis e priori matrimonio procreatis tribuitur. Nobis magis placet *d. lex* 9; quam etiam auctores codicis Belgici adoptarunt; non enim scopus legis est, ut liberi ejusdem patris vel matris portiones inæquales in ejus hereditate accipiant, sed ut impediantur donationes immodicæ, utque definiatur portio, de qua in hoc casu peculiari disponi possit.

TANTUM.

THESES.

I.

Eximia sunt verba, quibus exoptatissimus REX noster, die 2 decembris 1813 summum imperium Belgii fœderati suscepit:

« Welaan dan, ik zal mijne bedenkingen aan uwe
» wenschen opofferen; ik aanvaarde, wat Nederland mij
» aanbiedt, maar ik aanvaarde het ook maar alleen onder
» waarborging eener wijze constitutie, welke uwe vrij-
» heid tegen alle mogelijke misbruiken verzekert; ik
» aanvaarde het in het volle gevoel der verpligting, welke
» mij deze aanneming oplegt. » *Bijvoegs. tot het Staatsbl. A°.* 1813. *Deel.* 1, *pag.* 16.

Itaque illos magnopere errare existimamus, qui putant, summo imperanti non licere imperium absolutum, in quo ab initio constitutus est, sive sponte, sive postulante populo, arctioribus limitibus circumscribere.

II

Rectè doctissimus LUZACIUS ad MONTESQUIVIUM, *de l'esprit des lois. V. c.* 12. « On a souvent débattu, lequel
» des gouvernemens est préférable; les uns ont tenu
» pour le monarchique, d'autres pour le démocratique
» et d'autres encore pour l'aristocratique; il me semble
» qu'on perd le temps à disputer sur cette question
» proposée en général; le caractère d'un peuple, et la
» nature du pays qu'il occupe, changent si fort les
» raisons du pour et du contre, qu'il est impossible de
» donner une décision, qui soit universelle. »

III.

Quamquam in abstracto cogitari possint actiones, quæ neque bonæ, neque malæ sint, at medias tamen nullas

esse putamus, quamprimum eas ex locis, personis et temporibus æstimemus.

IV.

Omne jus puniendi oritur a necessaria sui defensione.

V.

Verè apud TERENTIUM. *Adelph. V*, *sc.* 5. *vs.* 37.
« Duo quum idem faciant, sæpe ut possis dicere,
» Hoc licet impunè facere huic, illi non licet;
» Non quod dissimilis res sit, sed quod is qui facit. »
Rectè quoque se habet parœmium : « *Duo quum idem* » *patiuntur*, *non est idem.* » Ut igitur vera habeatur pœnarum æqualitas, in earum distributione aliqua certè habenda est personarum ratio.

VI.

Improbamus sententiam ROSSAVII de vinculo parentes inter et liberos, *du contrat social.* I. c. 2, ubi dicit : « Les enfans ne restent liés au père, qu'aussi longtemps » qu'ils ont besoin de lui pour se conserver; sitôt que » ce besoin cesse, le lien naturel se dissout; les enfans, » exempts de l'obéissance, qu'ils doivent au père, le » père exempt des soins, qu'il devait aux enfans, ren» trent tous dans l'indépendance; s'ils continuent de » rester unis, ce n'est pas naturellement, c'est volon» tairement, et la famille elle-même ne se maintient, » que par convention. »

VII.

Juratorum institutum, præsertim quemadmodum in jure Gallico sese habet, ad magnos in puniendo errores conducere potest.

VIII.

Negotiorum gestor regulariter præstat culpam levissimam.

IX.

Cautio fructuaria a testatore remitti nequit.

X.

Nuptiæ ex metu reverentiali initæ, ex ea causa dissolvi nequeunt.

XI.

Periculum et commodum rei venditæ, necdum traditæ, pertinent ad emtorem.

XII.

Nulla pugna est inter *art.* 874. et 1020 *Cod. Nap.*

XIII.

Malè in *art.* 315 ejusdem Codicis statutum est, partum, trecentos dies post dissolutum matrimonium editum, pro non legitimo *posse* haberi, quando ejus status impugnatur; hinc enim sequitur, si nemo se opponit, ejusmodi partum legitimum esse, etiamsi decem vel plures annos post dissolutionem matrimonii editus sit; quod absurdum est. Rectius igitur sese dispositio haberet, si liberi, quos uxor trecentos dies post dissolutum matrimonium procreat, *ipso jure* essent illegitimi.

XIV.

Qui sciens cum personâ, alio adhuc matrimonio vinctâ, nuptias inivit, secundum *Codicem poenalem Gallicum*, tanquam *socius* criminis duplicis matrimonii puniri potest.

XV.

Ut secundum *art.* 381. *Cod. Pœn.* furtum morte puniri possit, requiritur, ut fures arma, quorum in n° 3. *d. art.* mentio fit, *secum attulerint*; neque igitur sufficit, si ea in loco, ubi crimen committitur, invenerunt.

CORRIGENDA.

Pag. 21,	lineâ	7. *quorum*,	lege:	*quarum.*
— 38,	—	1. *auctoritatis*,	adde:	*generalis.*
— 60,	—	16. *obnoxium*,	lege:	*obnoxiam.*
— 85,	—	30. *probatam*,	—	*probatum.*
— 85,	—	18. *habait*,	—	*habuit.*
—114,	—	21. *saevitiæ*,	—	*saevitias.*